& benevolentiam requirat, sed solùm redditur, quod debetur, quod etiam ab inimico fieri potest. Aliæ rationes apud Scotistas videri possunt.

583 In oppositum arguunt Adversarii. Primò ex Scriptura, & Conciliis necessitatem status gratiæ requirentibus ad satisfaciendũ pro pœna temporali. Trident. enim id expresè docet *sess. 14. c. 8.* & illis verbis, *omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent*, ubi supponit Concilium ad hoc, ut possimus satisfacere, necessario requiri, ut in Christo vivamus, quia Christus non influit, nib in membra ejus viva per gratiam. Hoc idem scriptura significat pluribus in locis dùm ait, opera extrà charitatem facta apud Deum non valerent 1. Cor. 1. *si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* & Rom. 2. *obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, & ideò Eccl. 34. dicitur: *dona impiorum non probat Altissimus*, & Prov. 14. *victimæ impiorum abominabiles*, ergo opera extrà charitatem facta non sunt Deo accepta, nec consequenter satisfactoria.

Resp. cum omnibus Scotistis, ex verbis Conc. colligi solùm necessitatem gratiæ actualis auxiliantis, quę nobis à Deo datur ex meritis Christi ad eliciendum opera bona, quam Pelagiani negabant non verò necessitatem gratiæ sanctificantis, & gratũ facientis, quę cum peccato mortali repugnat, quod magis posteà expressit Conc. *Tridn. 33. & 14.* ubi definit, satisfactionem hanc non esse opus nostrũ virium, sed esse opus gratię datæ per Christum Jesum, à quo omnis nostra sufficientia est; retundit enim ibi Hæreticorum nostri temporis temeritatem dicentium, has satisfactiones tollere meritũ Christi, quasi nos Catholici dicamus, has satisfactiones esse ex se satisfactorias sine merito Christi; Ideòq; verba illa *in quo vivimus* nõ significant, satisfacientem debere vivere in Christo, idest, esse in gratia ipsius eo tẽpore, quo satisfacit, sed significant omnem nostrã bonã actionem, & vitam spiritualem nõ nostris inniti viribus, sed auxilio gratiæ, & merito ipsius Christi, & omnem nostram sufficiẽtia ex ipso esse, non ex nobis, & in eodẽ sensu Conc. dixit, satisfactionẽ esse fructum gratię, idest, auxilii divini, sine quo hujusmodi opera etiam in peccato mortali existens efficere nõ potest; Potest etiam dici, satisfactionem in peccato mortali factam inniti gratię, & esse fructum gratiæ habitualis, & sanctificantis, non quidẽ præsentis, sed præteritæ, cujus virtute culpa jam dimissa fuit, sicut enim ejus virtute culpam Deus dimisit, & pœnam æternam in temporalem, commutavit, & eam pro pœna peccati sufficere voluit; Vel tãdem si Conc. loquitur de fructu, & virtute gratiæ habitualis præsentis, loquitur de perfecta satisfactione reconciliante, & placante, quæ simul includit, & pro eodem tempore reconciliationem amicitiæ, & solutionem pœnæ debitæ, & qua vellet Conc. omnes Deo satisfacere; alteram verò satisfactionem, quæ tantùm includit solutionem pœnæ debitæ pro offensa dimissa, supponendo recõciliationem amicitiæ præcedentem, de qua nos hic loquimur, non refellit, nec reprobat, sed sub disputatione relinquit; Loca verò Scripturæ adducta optimè explicat Navarrus *c. 1. de Pœnit. d. 9. n. 45. & 46. & in Manuali c. 3.* intelligi debere de operibus meritoriis in ordine ad vitam æternam, non verò de pure satisfactoriis, probant, inquam sine charitate minimè effici posse aliquod opus vitæ æternæ meritorium, quia nulla opera facta in statu peccati sunt Deo accepta in ordine ad præmium vitæ æternæ, at non probant, opus pœnale in peccato mortali factum in satisfactionem non esse pœnam temporalem debitam, ut ulterior pœna non sit amplius exigenda, nam opera bona etiam in statu peccati facta bene possunt esse Deo accepta in ordine ad aliquod præmium temporale, qualis est remissio pœnæ post peccata dimissa remanentis; probant tamen, opera in statu peccati facta efficere non posse satisfactionem perfectam, quæ est reconciliativa, & placans, sed minimè probant, non esse reditionem æqualem debito, & ex justitia satisfacientem pœnæ pro offensa debitæ, quæ doctrina est Scoti *l. c.* ubi ait, satisfactionem in peccato factam; utique non esse placantem, & reconciliantem, adhuc tamen satisfactionem sic absolutè sumptam.

584 Deindè arguunt rationibus, quia remissio pœnæ tẽporalis est opus amici, siquidẽ præparat hominẽ ad cõsecutionem gloriæ, removendo impedimenta à peccatis relicta; ergo nõ potest conferri peccatori inimico. Tùm 2. quia licèt opera bona in statu peccati facta esse possint Deo accepta in ordine ad præmium aliquod tẽporale, nõ tamen in ordine ad præmium vitæ æternæ; sed remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis pertinet ad bonum gloriæ, quia est præparatio ad ipsam removendo impedimenta, ut dictum est: ergo non satisfacit homo existens in peccato mortali pro tali pœna, neque Deus ta lem satisfactionem acceptat. Tùm 3. quia operibus nostris neq; meremur, neq; satisfacimus, nisi in virtute passionis Christi; sed passio Christi nõ prodest existentibus in peccato mortali; ergo opera facta in peccato non prosunt ad satisfactionẽ. Tùm 4. quia ex gratia Dei pœna æterna peccato mortali debita in temporalem commutata fuit; ergo talis pœna tẽporalis in gratia Dei erit ex solvenda. Tùm 5. quia pœnæ hujus vitæ nõ sunt cõparabiles cum pœnis alterius vitæ; ergo nisi adsit gratia, quæ significat, non sunt satisfactoriæ. Tùm 6. quia alioquin sequeretur, etiam indulgẽtias sumptas in peccato conferre suum effectum ex opere operato, cum non minus indulgentia, quàm satisfactio à Confessore injuncta virtute clavium, & meritorum Christi ordinetur ad remissionẽ pœnæ temporalis à condonatis relictæ. Tùm tandem, quia alioquin talis satisfactio sacramentalis non esset, nec tertia pars hujus sacramenti, de cujus essentia est gratiam sanctificantem conferre ex opere operato; pars enim totius naturam participare debet.

585 Resp. negando assumptum, sola namq; remissio culpæ, & pœnæ æternæ est opus, quod non debetur, nisi amicis, remissio autem pœnæ temporalis, sicut & auxilia gratiæ, communia sunt amicis, & inimicis; ad probationem assumpti rursus negandũ, est remissionem pœnæ temporalis proximè, & immediatè ad consecutionem gloriæ hominem præparare, præparat enim tantùm remotè, & mediatè, quo pacto etiam præparant auxilia gratiæ, quæ etiam peccatoribus conceduntur. Ad 2. patet per idem, nam remissio pœnæ temporalis sicut remotè solùm, & mediatè ad consecutionem gloriæ præparat, & disponit; ita etiam ad bonum gloriæ pertinet remotè tantùm, & mediatè, sicut & auxilia gratiæ, quæ etiam peccatoribus conceduntur, ad beatitudinem remotè ordinantur. Ad 3, dicendũ est, solventem pœnam temporalem in statu peccati adhuc solvere in virtute passionis, & gratiæ Christi, modo jam explicato, hoc est, non virtute gratiæ, quæ tunc adest, sed quæ aderat, quando culpa per absolutionem dimissa fuit, virtute enim gratiæ tunc peccatorẽ justificantis pœna temporalis solvenda acceptata fuit, ideòque in quocunq; statu solvatur, sufficit; falsa est etiã minor absolutè sumpta, quòd passio Christi non prosit existentibus in peccato mortali, nam illuminationes, vocationes, & efficacia auxilia ad resurgendũ non diceretur facta per Christum, & ex virtute passionis Christi originem habere, quod est hæreticum. Ad 4. resp. satisfactionem in peccato factam adhuc inniti gratiæ gratum facienti, non quidẽ præsenti, dùm peccator satisfacit, sed præteritæ, qua ei dimissa fuit culpa, cui talis pœna debetur, atq; ita satisfactio non necessario requirit gratiã, & charitatem, dùm fit, licet requirat præfuisse, quãdo Deus culpã dimisit, & pœnam solvendam acceptavit. Ad 5. dicendũ, quòd pœna hujus vitæ, quãvis in ratione satispassionis proportionem cum pœnis Purgatorii non habeant, possunt tamen eam habere in ratione satisfactionis, ratio enim voluntarii, quæ in Purgatorio deficit, eas extollit, & elevat, atq; dignas facit, ut accepẽtur à Deo ad solutionem omnis debiti, ut suprà dictum est sub n. 587.

Ad 6. licèt aliqui ex nostris concedant paritatem, & sequelam, ut Maiton, & Rubion, absolutè tamen negandã est paritas, & discrimen ex eo patet, quòd Indulgentiæ à Rom. Pontific. non conceduntur nisi pro confessis, & contritis, unde habemus Extravagãte, *Unigenitus* Christum thesaurum suorum meritorum commisisse dispensandum per suum in Terris Vicarium verè pœnitentibus, & confessis. Ad ultimum satis patet ex dictis art. 1. hujus qu. n. 572. effectum, quem ex opere operato satisfactio reipsa exhibita causat, quo pacto est pars integralis hujus sacramenti, non esse augmentum gratiæ habitualis, sed remissionem alicujus pœnæ tẽporalis ex peccatis jam condonatis relictæ cum aliquo auxilio ad peccata in futurũ præcavẽda; collationem verò gratiæ diximus ibi non attingere, nisi ut in voto assumptam, quo pacto est pars etiam essentialis hujus sacramenti, ut ibidem explicatum est num. 569. quãndo autem hic dicimus, satisfactionem sacramentalem etiam in statu peccati adimpletam suum sortiri effectum ex opere operato, jam patet, sermonem esse de ipsa, ut in re exhibita, quo pacto ibi etiam extremè diximus, ejus proprium effectum non esse gratiæ collationem, sed tantùm remissionem pœnæ temporalis ex peccatis jam condonatis relictæ, & in hoc sensu non esse partem essentialem hujus sacramenti, sed tantùm integralem.

586 Denique arguunt Auctores primæ sententiæ, & probare contendunt, satisfactionem sacramentalem in statu peccati factam, non solùm tunc suum non sortiri effectum, sed nec etiam posteà remoto obice peccati, & succedente dispositione, & statu gratiæ. Ratio est, quia quod nunquam habuit vitam, non est revivescentiæ capax, sed satisfactio in peccato adimpleta nunquam habuit vitam gratiæ, ergo, &c.

Respondeo, quod si nostra non teneatur sententia, quòd satisfactio in statu peccati facta etiam tunc suum sortiatur effectũ, planè teneri debet saltem media sententia, quòd nempè illum sortiatur, succedente dispositione, & statu gratiæ; satis enim probabile est, quòd non tollat Deus hoc debitum, dùm status peccati manet, quia fortè non vult pœnam acceptare in statu peccati factã in ordine ad illud debitum extinguendum, sed relinquere ipsum tantæ pœnæ debitorem, non obstante solutione pœnæ à Confessario impositæ, donec ad statum gratiæ reducatur; Nec ratio allata in oppositũ urget, sed neganda est minor; licèt enim satisfactio sacramentalis in statu peccati adimpleta à principio proximo, & instrumẽtali vita non habuerit, habuit tamen vitam à principio remoto, & principali, quod fuit meritum Christi, & à gratia sanctificante præterita, per quam remissa fuit culpa, cui talis pœna debebatur, ut suprà explicatum est.

587 Quinta tandem Difficultas est, An satisfactio vitiata per aliquam

quam mala circumstantiam sit valida. Negant aliqui contendẽtes pœnitentem teneri ità facere opus ipsum satisfactorium, ut sit ex omni circumstantia pium, & bonum, & aliter non valeat ad pœnitentiam adimplendam, quia prorsus obsonum apparet, ut per aliud novum peccatum agatur pœnitentia de prioribus peccatis, satisfactio autem facta ex fine malo est peccatum saltem veniale, si v. g. fiat ex aliqua vanagloria; Communior tamen sententia docet, etiã per opus ex aliqua circumstantia peccaminosum adimpleri posse pœnitentiam, & præceptum Confessarii, ita Suarez, Vasquez, Lugus, Averfa, & ex nostris Poncius, Brancatus, & alii Recentiores passim; Ratio, est quia per talia opera possunt impleri præcepta, ut in variis materiis constat, quando scilicet, præcipiuntur opera secundum substantiam, & non secundum modum, sicut ergo qui audit missam, aut preces recitat cum levi distractione, & negligentia, præceptum Ecclesiæ adimplet, ita etiam jussionem, & pœnitentiam sibi à Confessario impositam adimplere poterit.

Meliùs tamen distinguendum est cum Hiquæo 4. *d.* 15. *qu.* 1. in calce, de duplici fine, alius enim est finis propter quem, vel cuius gratia, qui est finis simpliciter operis, & illud specificans, alius verò dicitur finis secundum quid, & occasionatus, inquantùm ex eo aliquo modo voluntatem ad operandum, & talis non dat speciem operi; loquendo ergo de fine propriè dicto, satisfactio ex tali venali fine exhibita non solùm non esset vera satisfactio, sed neque esset veniale peccatum, imò potiùs gravis contemptus, & hypocrisis contrà reverentiam sacramenti, & naturam operis, nam ut ait Doctor *l. c. §. de secundo principali*, satisfactio est operatio labotiosa, vel penalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum commissum, & ad placandam divinam offensam, quibus verbis innuit finem intrinsecum, & extrinsecum satisfactionis intrinsecum quidem illis verbis, *ad puniendum peccatum commissum*, extrinsecum verò aliis sequentibus, *& ad placandam divinam offensam*; quarè sumere sacramentum, aut partem aliquam sacramenti ponere, non ex affectu, aut fine sacramenti, sed tantùm ad finem hypocrisis, aut vanagloriæ, est contemptus gravis Religionis, quia non sumitur sacramentum cum debita dispositione, quæ cum tali fine consistere nequit, & in hoc sensu bene procedit ratio primæ sententiæ. Loquendo autem de fine veniali secundum quid, seù occasionato, aut maculam venialem concomitanti, quæ non derogat voluntati per se intendentis opus satisfactorium ex fine tàm intrinseco, quàm extrinseco requisito; hic planè non derogat operi, aut effectui satisfactionis, quin acceptetur à Deo, nam si peccatum veniale non derogat effectui sacramenti, ac effectui satisfactionis; ita etiam non derogat quoad divinam acceptationem; sic etiam si ex aliqua alia circumstantia veniali vitietur satisfactio, ut si excederet in modo etiam cum advertentia, adhuc esset valida, ut v. g. si ieiunans ita se macceret, ut notabiliter deficiat, etiam cum advertentia, si peregrinationes, vel alia similia conficiat, si erogans eleemosynam ad extremam necessitatem redigatur, adhuc satisfacere censetur, quia tal. se circumstantiæ non videntur vitiare opus quoad substantiam, sed tantùm quoad modum.

QUÆSTIO VIGESIMASECUNDA.

An Pœnitens teneatur satisfactionem sibi injunctam acceptare, & exequi.

588 PRima, & communis sententia in hac celebri Controversia affirmat, teneri simpliciter pœnitentem acceptare iustam pœnitentiam à confessario impositam, si velit absolvi, & alioquin absolvendum non esse, & consequenter teneri etiam posteà per se loquendo adimplere, & ex qui talem satisfactionem sibi injunctam, ita Magister sent. Alensis, D. Thom. D. Bonav. Riccardus, Paiudanus, Durandus, Maior, Suarez, Vasquez, Valentia, Conincbius, Lugus, Averfa, Amicus, Casponsis, Bonacina, & alii Veteres ac Recentiores passim. Secunda sententia negat teneri pœnitentem de rigore acceptare pœnitentiam, quam Confessarius ei vult imponere; sed si dicat, se habere displicentiam de peccatis, & firmum propositum non peccandi, esse à Confessario absolvendum, ita Gabriel. Rubion, Silvester, Medina, Navarrus, Armilla, Hostiensis imò Caietanum etiam in *opusc. tract. 6. q. 2.* non solùm negat, pœnitentẽ teneri acceptare pœnitentiam iniunctam, sed ulteriùs addit, etiã si eam acceptaverit, non teneri posteà eam exequi, quod passim alii eiusdem opinionis Sectatores negant. Et pro hac sententia citatur etiam communiter nostter Scotus 4. *d.* 15. *q.* 1. *§. de secundo principali versic. Quia ergo. & dist.* 19. *§. Ad qu. motam sub lit. D.* ubi ait, posse pœnitentem non acceptare satisfactionem sibi impositam à clave non errante, si dicat, velle in Purgatorio solvere pœnam, neque per hoc dicendus esset Ecclesiæ inobediens, sed esset absolvendus, monendus tamen, quòd tot illa pœna erit in Purgatorio solvenda, & in hoc sensu sic absolutè loquendo eam tuentur Scotistæ passim veteres, & iuniores Faber, Hiribarnes, Aretinus, Poncius, & alii passim, sed in quo sensu hoc dixerit Scotus, patebit posteà eius sententiam explicando cum Hiquæo, Brancato, & alii Scotistis, qui mentem Doctoris meliùs perceperunt, & altiùs scrutati sunt.

Meld. in Quart. Sentent.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

589 PRo resolutione quæsiti, Primò Dicendum est; non posse pœnitentem simpliciter, & absolutè loquendo, ac regulariter reiicere omnem pœnitentiam, & satisfactionem à Confessario injunctam collective sumptam, dicendo, se velle satisfacere in Purgatorio. Hæc est communis cum prima sententia, ac etiam est de mente nostri Doctoris, ut notant Hiqueus, & Brancatus, nam *dist.* 15. *q.* 1. monens Sacerdotem, ut prudenter imponat satisfactionem, dicit, quòd si pauper nullam possit exequi pœnitentiam injũctam, imponat ei, ut laborem diutnum libenter sufferat in pœnitentiam peccatorum, quousque aliam possit exequi; Si autem Doctor absolutè teneret, omnem satisfactionem in hac vita posse à pœnitẽte non acceptari, non esset ita sollicitus de impositione pœnitentiæ tolerabilis à pœnitente, sed absolutè dixisset, quòd si nullam potest pœnitens acceptare pœnitentiam, parum refert, quia sufficit, si dicat se velle eam in Purgatorio solvere, quo d tamen Doctor non dixit, signum evidens, quòd quando hoc infrà dixit *disp.* 19. *l. c.* non loquitur ibi simpliciter, & absolutè, sed in aliquo particulari casu, ut posteà dicemus. Rursus *d.* 16. *q.* 1. F. docet, satisfactionem, quæ est tertia pars pœnitentiæ, esse necessariam in re, vel saltem in voto, & loquitur de actu voluntario exercendo in via, nisi impotẽtia impediat, aliquam igitur pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam de mente Doctoris, alioquin votũ illud præcedens efficax non fuisset. Imò & in illa *d.* 19. *l. c.* Scotus non docet, in Sacerdote non esse potestatem, obligandi, & ligandi pœnitentem absolutè, sed contrarium docet, cùm dicat, teneri, eum pœnitentiam acceptatam adimplere sub pœna peccati, quæ obligatio nulla esset, nisi potestas ligãdi obligationem induceret, in qua potestate fundatur hæc obligatio ex parte pœnitentis, non autem in sola ipsius acceptatione, ut Doctor illis verbis innuit; *Tunc enim obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit*, quibus verbis significat, hanc obligationem oriri ex impositione ipsa, & jussione Confessarii, ne dicatur potestas Confessarii coarctata, & subjecta ad consensum ejusdem pœnitẽtis, ut solùm possit obligare, quando alter vult obligari, Certùm ergò debet esse, etiam de mente Doctoris simpliciter, & absolutè loquẽdo pœnitentem obligari ad acceptandam, & adimplendam pœnitentiam sibi rationabiliter à Confessario impositam, nec posse licitè illam repudiare, & satisfactionem in Purgatorio implendam reservare; an autem in aliquo casu id liceat, dicemus posteà.

Hoc verò assertum sic probatur, Primò ex Evangelio, ubi potestas ligandi datur Sacerdotibus, nempè injungendo satisfactiones, si autem non obligetur pœnitens, Sacerdos non ligat, correlativa enim sunt potestas in Superiore, & obligatio in subdito, itaut una sine altera subsistere nequeat.

Confir. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. ubi Sacerdotes gravibus verbis monentur, ut condignas imponant satisfactiones, quæ sint non solùm in medicinam, sed etiam in castigationem, ne si leves imponant, participes fiant peccatorum pœnitentis; si verò pœnitens non tenetur acceptare satisfactionem impositam, certè Sacerdos peccati illius particeps non esset, dùm sinetet, & permitteret pœnitentem uti juri suo. Demum probatur ex ratione hujus Sacramenti instituti ad modum iudicii, tenetur enim Reus parere Iudici legitimè præcipienti, nisi fortè sit locus appellationi, quæ in præsenti judicio non datur, cùm sit supremum tribunal, & idem cum divino, & quidem in foro externo potest Iudex etiam vi cogere Reum ad pœnam subeundam, habebit ergo & Sacerdos vim coactivam, quæ saltem per præceptum obliget pœnitentem ad impositam pœnitentiam acceptandam, & solvendam.

Resp. Faber, Poncius, Aretinus, & alii Scotistæ posteriorem sententiam Scoto communiter adscriptam simpliciter, & absolutè defendentes sine ulla limitatione, Concil. *l. c.* non loqui de satisfactione in ordine ad satisfaciendum pœnæ temporalis, sed quatenus est medium ad præservandum hominem à lapsu in futurum; itaque Concilium intelligi debet de pœnitentia, quatenus est medicinalis, & præservativa à futuris peccatis, non autem quatenus est satisfactoria, ut sic enim potest illam non acceptare, sed in alia vita solvendam reservare. Addunt alii cum Navarro, esse in Sacerdote potestatem ligandi non absolutam, sed arbitrariam, cui proindè in pœnitente respondet subjectio non coacta, sed libera, ita docuit Concilium Tridentinum in literis unionis *§. quartum sacramentum*, ubi ait, satisfactionem imponendam esse *secundum arbitrium Sacerdotis.*

591 Sed planè hæc explicatio contrà ipsius Concilii textũ militat, nam Cap. cit. sic adamussim loquitur: *Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, nõ sit tantùm ad novæ vitæ custodia, & infirmitatis medicamentũ, sed etiam ad præteritorum peccatorũ vindictam, & castigationẽ, nam claves sacerdotũ nõ ad absolvendũ duntaxat sed & ligandũ concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*; ergo ex ipsis Concilii verbis potestas, quam Sacerdotes habent, imponendi satisfactionem pœnitenti, se extendit ad illã imponendam etiam in vindictam, & castigationẽ præteritorũ pecca-

torum, quod etiam ratio ipsa suadet, quia Confessarius in hoc tribunali non tantùm partes Medici agit, sed etiã Iudicis, & Ministri Dei, cuius offensas in reojuxtà ipsorum gravitatem punire debet; & quidem hæc verba Concilii adeò clara in vanum prorsus eludere & extorquere conatur Poncius *disp.45.q.14.nu.172.* Nec etiã benè dicitur, potestatem Sacerdotis arbitrariam esse, non absolutam, nõ enim est in ejus arbitrio pœnitentem à peccatis absolvere, vel non absolvere, sed posita sufficienti dispositione ex præcepto eum absolvere tenetur, quo etiam præcepto pœnitens ipse tenetur ad absolutionem procurandam, & acceptandam, ergo pariter potestas ligandi per pœnitentię impositionem erit in Sacerdote absoluta nõ arbitraria, & talis etiam consequenter respondebit in pœnitente obligatio acceptandi absolutionem; Quando verò Concil. Flor. docet, satisfactionem *secundum arbitrium Sacerdotis* imponendam esse, planè significare noluit, quod sit in Sacerdotis arbitrio satisfactionẽ pro peccatis imponere, vel non imponere, sed tantùm quòd ejus arbitrio & judicio sit remittenda pęnitentiæ condignitas, & quòd satisfactio iudicanda sit digna, vel non indigua culpis juxta ejus arbitrium, ut libet ex ipso Conc. contextu, quod adhuc magis Trid. expressit illis verbis *quantum Spiritus, & prudentia suggesserit.* Itaque Sacerdotis arbitrio solùm committitur iudicium de pœnæ cõdignitate, non autem eius impositio, nam posito iudicio de pœnæ condignitate, non est amplius in Sacerdotis potestate pœnitentiam quæ peccatis condigna est iudicatarpœnitenti non iniungere, quia talem obligationem habet à Clavibus, quæ ad hunc finem, ut per eas ligare, & solvere possit; Sacerdoti conferuntur.

592 Resp. secundò alii Scotistæ, quòd estò pœnitens omnẽ reficeret impositam satisfactionẽ, ad huc ex parte Sacerdotis daretur actus ligandi, & ipsemet pœnitens ligatus maneret, nã de ratione ligandi activè ex parte Sacerdotis est, ut ad pœnã temporalẽ obliger remissa æterna; sed tunc Sacerdos adhuc ligaret pœnitentẽ ad pœnã temporalẽ in Purgatorio luendã, & pœnitens de tali ligamine contẽtus esset, atque ideò nihil deficeret ex parte potestatis Sacerdotis requisitũ, neque ex parte pœnitẽtis spectans ad integritatẽ sacram.

Sed Contra est, quia Sacerdos potestatem clavium ligando exercet, non solùm quia absolvendo à culpa, & pœna æterna, hanc cõmutat in temporalem, quod per solam absolutionẽ obtinetur, sed etiam quia ad aliquod opus ligare potest, quo talis pœna tẽporalis potest etiam saltem ex parte in via solui, ut declarat Trid. can. nam Sacerdotis ligamen est obligatio ad opus, quod est pars sacramenti, & causat ex opere operato, alioquin per solum actum absolvendi exerceretur completè clavium potestas, nam cũm datur absolutio per hanc solam commutatur pœna æterna in temporalem in Purgatorio luendam; ut igitur salvetur completa Sacerdotis potestas, præter hoc dari debet actus, quo Sacerdos pœnitentem liget, & qui distinctus sit ab absolutione, & hic est impositio satisfactionis ex Conc. *l.c.* Tùm quia ad sacramenti integritatem non tantùm ex parte Sacerdotis requiritur impositio satisfationis, sed etiam ex parte pœnitentis ejus acceptatio, & executio, pars autem sacramenti pœnitentiæ est satisfactio, non quidem, quæ remanet in Purgatorio solvenda; sed quę fit per actus pœnitentis in via, nam sufferentia pœnæ in Purgatorio dicitur satispassio, non satisfactio, & illa passio non est pars sacramenti, sicut est satisfactio, nam sacramentum nõ completur in Purgatorio, sed hic in via; excipitur tamen casus, quando pœnitens est ita morti proximus, ut nihil vitæ superst, nisi quantum satis est ad absolutionẽ recipiendam, tunc enim sicut moribundus nullam implere potest pœnitentiam, sic Confessarius nullam imponere tenetur; at in aliis casibus, quia satisfactio est pars integrans pœnitentiæ sacramentum, quæ nec à Sacerdote omitti, nec à pœnitente sine causa reiici potest, ideò quantum fieri potest, uterque tenetur integrum facere sacramentum, fieret enim aliqua iniuria sacramento, si pars integralis sine causa omitteretur, sicut si quis in sacramento extremæ Unctionis aliquius sensus inunctionem sine causa omitteret.

Resp. tandem ad hoc aliqui, quòd in eo casu, quo satisfactio imposita non acceptaretur à pœnitente, tunc adesset satisfactio in voto, seu votum efficax satisfaciendi hic, vel in Purgatorio, quę satisfactio in voto ad huc ad integritatem sacramẽti sufficeret. Sed hoc etiam gratis omninõ dicitur; nam quando Conc. *l.c.* satisfactionẽ appellat partem huius sacramenti integralem non loquitur de satisfactione in voto, sed re ipsa exhibita, neque de pœna in Purgatorio luenda, sed hic in via, quia satisfactio est actus pœnitentis sufferentia autem pœnæ in Purgatorio est pura passio, ut suprà dictum est. Tùm quia tale votum satisfaciendi hic in via in casu posito, quod satisfactio imposita reiiceretur à pœnitente, non posset dici efficax, quia voto efficaci contradicit expresè voluntas contraria omnem satisfactionem impositam reiiciens, & quamvis esset efficax respectu pœnæ in Purgatorio luendæ, hæc tamen non sufficeret, quia votum efficax debet esse de satisfaciendo hic in via, nisi impotentia impedita, nam sacramentum completur in via per suas partes integrales, non verò in Purgatorio.

593 Secundò Dicendum est à fortiori teneri pœnitentem implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali, nisi impotentia impediat. Conclusio est communis contra Caietanum, quam expresè tenet Doctor *d. 19. §. Ad quæstionem lit. D* & ponitur in *cap. omnis utriusque* ubi præcipitur pœnitentibus, ut impleant impositam pœnitentiam, & ratio ipsa suadet, quia nisi adesset obligatio gravis adimplendi, frustrà imponeretur, & nullius esset virtutis potestas ligandi sacerdotis, siquidem posset pœnitens ad libitum impunè se ab eo ligamine solvere opus impositum non adimplendo, & tandem gravis irreverentia, & iniuria sine culpa posset inferri sacramento, illud non complendo per subtractionem partis eius integralis, qualis est satisfactio. Et falsum est, quod obiciunt Suarez, & Vasq. & alii Recentiores, Scotum hoc non afferere consequenter ad sententiam, quam ei tribuunt, & Caietanum magis consequenter loqui ad eam sententiam, nam data etiam tali sententia, quòd pœnitens non teneatur satisfactionem iniunctam acceptare; hoc ideò esset, quia non teneretur se Confessario subiicere quoad opus satisfactorium, sed tantùm quoad peccati remissionem, quia nempè arbiter intantum ligat, inquantũ eius iudicio reus se subiicit; sed dato, quòd pœnitens onus talis satisfactionis acceptet, iam se subiicit arbitrio quoad utrũq; ergo eius sententiæ parere tenetur.

Confir. quia ut suprà dictum est, Sacerdos potestatem arbitrandi, & iudicandi in causa non recipit à reo, se illi subiicienti, sed à Deo, & Ecclesia, à quibus huius fori iudex est institutus, & verè clavem ligandi habet, quamvis à voluntate pœnitentis dependeat quantùm ad sui subiectionem plenariam in causa, nihil eius refervando; undè consensus pœnitentis, ut suprà dicebamus, potestatem non confert sacerdoti, sed solùm dat materiam, in qua exercerì potest; ergo à sententia data, & acceptata, cui semel se subiecit, nullatenus licitè resilire potest, quia est subiectio pœnitens quoad vindictionem peccati Iudici habenti facultatem ligandi, supposita subiectione, & consensu rei. Quod autem pœnitens non teneatur satisfactionem impositam adimplere, si impotentia impediat, quæ erat altera assertionis pars, ex eo patet, quia Deus ad impossibilia non obligat ex Trid *sess.19.c.12.* & de facto sic exercetur in praxi, ut suprà dictum est de constituto in ultimo mortis artic. & aliis infirmis, qui satisfactionem acceptant cum tali conditione, quòd si poterunt, adimplebunt.

594 Tertio Dicendum est, posse pœnitentem ex aliqua rationabili causa satisfactionem sibi impositam non acceptare, petendo, ut alia sibi imponatur. Est communis cum Doctore *dist.15.q.1.lit.M.* nam communiter cõcedunt Doctores, ex rationabili causa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitẽtis posse Confessariũ graviorem pœnitentiam in leviorem permutare, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pœnitentis, & eius emendatio, quàm satisfactio pro pœna relicta ex culpa remissa, ac proindè ne salus pœnitentis periculo exponatur, si graviorem satisfactionem ille non acceptet, poterit levior imponi à Confessario; & ratio est, quia adhuc optimè salvatur quicquid ad rationem sacramenti requiritur, potestas clavium, ac pœnitentis dispositio; nam Sacram. exigit, ut satisfactio aliqua adfit, & quòd sit hæc, vel illa gravior, vel levior, materialiter se habet; sic etiam potestas clavium benè servatur, nam hæc solùm exigit, ut Sacerdos possit ligare pœnitentem ad aliquod opus satisfactorũ, si impotentia non impediat, hoc autem in casu nostro adhuc obtinetur, quia si rationabili de causa unũ opus satisfactorũ à pœnitente reiicitur, aliud acceptatur; servatur tandem etiam pœnitentis dispositio, & reverentia debita sacramento, quia pœnitens supponitur paratus facere, quod potest moraliter, & si opus impositum reiicit, hoc non facit ex irreverentia, sed ex impotentia.

595 Hæc de causa Trid. loc. cit. inquit, satisfactiones esse debere convenientes statui, & conditioni pœnitentium, ut scil, nihil in illis Confessarius à pœnitente exigat, nisi juxtà prudentiæ regulas v.g. ut filio familias eleemosynas erogandas non iniungat, operatis, vel debilibus personis ieiunia, mulieribus peregrinationes, valdè occupatis multas preces. Hac etiã de causa Doctores passim Confessarios consulunt, ne nimis duros, & rigidos, ultrà quam satis est, pœnitentibus se exhibeant, illisque acerbas nimis, & molestas pœnitentias imponant, eo prætextu, quòd conscientiã suam exonerare velint, nihil curãtes, an ipse pœnitẽs eas adimplere possit; hoc enim esset nimis à charitate alienum, & fini huius sacram. repugnans, undè sapientissimè Rituale Parisiense tit. *De Sacr. Pœnitentiæ* monet ut Confessarius satisfactione iniuncta pœnitentem interroget, an possit, vel dubitet, pœnitentiam sibi iniunctam petagere posse, alioquin eam immutet, aut minuat iuxtà moralem potentiam, & facultatem pœnitentis; & hac etiam de causa Card. de Lug. *d. 25 sess.4.* excusat hoc tempore confessarios, qui pro gravissimis peccatis leves pœnitentias imponunt, quod fit propter infirmitatem spiritualem pœnitentiũ, ne gravioribus pœnitentiis scandalizentur, & confessionem fugiant; Quam totam doctrinam iam anteà Scotus docuerat *loc.cit.4. dist.15.q.1. M.* ubi loquens de qualitate satisfactionum pœnitentibus iniungendarum ait, debere proportionari peccatis itaut carnalibus ieiunia, & carnis macerationes imponantur, superbis orationes, aliiq; humilitatis actus, avaris eleemosynæ iuxtà illud Sapient. 11. *per quæ quis peccaverit, per hæc & punietur*, & universaliter, & de congruo; nam in speciali subdit, talem modum nõ semper esse servandum, sed personæ conditionem esse considerandam; ideòque discretum esse debere Confessarium, ut pauperi v.g. non

non imponat pœnitentiã diviti competentem, tunc enim rationabiliter posset ille pœnitens satisfactionem impositam non acceptare, & aliam petere imponendam magis statui suo proportionatam

596 Quartò tandem Dicendum est, posse licitè pœnitentem in aliquo casu non acceptare satisfactionem à Confessario impositam etiam moderatam, & adhuc misericorditer absolvendum esse. Hæc est germana mens Doct. *loc. cit.* ut benè exponit Hiquæus *d.19. q. un.§. sed nunquid pœnam*; & hoc primò deducitur ex *d.15.q.1.lit.N* ubi casum assignat, in quo id liceat, dicens, quòd si omnino nullam velit recipere pœnitentiam à Sacerdote impositam, dicit tamen, se habere displiceẽtiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & non respuendus, ne cadat in desperationem, & nuncianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quòd eam in se, vel in æquivalenti absque impositione studeat adimplere, alioquin solvet ad plenum in Purgatorio, pro quo adducit illud Isaiæ 42. *Arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet*; planè ex his verbis constat, Doctorem non loqui regulariter, sed in casu, in quo peccatori nimis esset difficile obligari ad pœnitentiam ex particulari suo statu, & tentationibus, quas patitur in adimplenda pœnitentia ex obligatione, & casum format hoc modo Hiquæus *l.c.* in Comentario nu. 85. in scrupulosis, qui sentiunt, in se maximas turbationes cõscientiæ, & anxietates, excitari in quibuscunque operibus obligationis quibus sæpiùs repetitis non quiescunt, neq; existimant, se omninò satisfecisse, & hic casus frequenter in melancholicis occurrere solet, qui sibi ipsis laqueos innectunt, & in omnibus se peccare putant & nunquam rectè per solvere pœnitentias, etiam leves iniunctas, & toties à se repetitas, undè in tali casu, inquit Doctor, consultius esse ipsis alleviare jugum, quantum fieri potest, & nullam iniungere pœnitentiam, vel omnino citrà obligationem, ne desperatus recedat, & ut deceptio ex prava dispositione orta magis evacuetur, & anxietates ad desperationem inducentes submoveantur eodem modo, & in eodem casu loquitur *d.17.q.1.art.2.lit.O.* dum inquit, talem esse magis absolvendum, quàm repellendum, modo habeat propositum recipiendi pœnam à Deo in hac vita infligendam, vel in Purgatorio juxta ea, quæ dixerat *d.15.q.1.§. cit.* ad quem locum se remittit. Et tandem in eodem sensu loquitur *d.19.h.1.§. sed nunquid pœnam sub lib. D.* ubi dicit, non expedire talem sine absolutione dimittere, supponit ergo semper casum particularem in quo ob difficultatem specialem satisfaciendi imminet periculum desperationis, quod ex una parte oriretur, quia subtrahitur absolutio; & ex alia, quia difficultatem superate nequit, quam patitur ex illa tentatione, qua nequit pœnitentiam cum obligatione acceptare.

597 Constat ex his, Doctorem, quando asserit, pœnitentem posse licitè nõ acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam, semper supponere casum, in quo nimis difficile esset pœnitenti satisfactionem impositam adimplere, aut acceptare, non verò quòd ex contumacia, aut impunitate peccandi Ecclesiæ claves contemnere velit; Undè non negat Doctor, semper posse esse in Sacerdote iniungendi pœnitentiam, vel repellendi pœnitentem suspendendo absolutionem; sed dicit, consultius esse in eo casu non uti sua potestate, aut durum, & difficilem se gerere, sed cõdescendere fragilitati pœnitentis intimando obligationem, & debitum solvendi in hac, vel alia vita, & lucrando illam animã, ne in desperationem caderet quod planè valdè pietati consonæ pro animarum salute in simili casu; Atq; ideò contrà sententiam Doctoris sic intellectã argumenta Auctorum primæ sententiæ non urgent, siquidem probant, tantùm regulariter obligari pœnitentem ad acceptandam satisfactionem à Confessario impositã, non verò in casu posito, quando Confessarius ipse ex statu pœnitentis cognito eandem non imponere tenetur, in quocunque autem casu, quo Confessarius eximitur ab obligatione imponendæ pœnitentiæ, in eodem pariter eximitur pœnitens ab ea acceptanda, quia par est hinc indè obligatio.

Dices, hunc casum esse impossibilem, Confessario enim constare nequit, pœnitentem esse dispositum, si renuit omnem satisfactionem, difficile siquidem est invenire aliquem verè pœnitentem, qui bona fide confiteatur, adeò saxeum, ut nolit vel tantillum pœnitentiæ acceptare, proindè si quis accederet, qui nollet nec exiguam acceptare pœnitentiam valdè difficile esset, ac etiam moraliter impossibile cognoscere, an benè dispositus esset, & verum haberet dolorem. Resp. Confessarium teneri credere pœnitenti citeà proprium statum, undè sicut veritas accusationis de peccatis commissis innititur dictis pœnitentis, qui nullo modo præsumendus est in propriam perniciem dolosè, & fraudulenter agere, ubi de propriæ animæ salute negotium urget; ita etiam suam impotentiã allegans ad persolvendam pœnitentiam, quantumvis minimam à Sacerdote impositã debet ei credere, & hæc impossibilitas non raro in melancholicis occurrere solet, ut suprà dictum est; & quando etiã casus esset moraliter impossibilis, id parũ referre debet, quia in doct. morali fingẽdi fuit aliquãdo casus, ut veritas regulæ, & legis appareat.

598 Assertio autem Doctoris sic explicata probatur cum Hiquæo *l.c.* quia tenetur Confessarius sequi regulam prudentiæ, quæ ex fine, & institutione huius fori desumitur; sed finis est salus pœnitentis, & reconciliatio peccatoris cum Deo, ad quam non est medium proportionatum satisfactio, quæ annexum habet periculum proximum peccandi ob maximas turbationes conscientiæ, & anxietates pœnitentis; ergo neque ex regula prudentiæ, quæ à fine sacramẽti desumitur, obligatur Confessarius in tali casu imponere satisfactionem pœnitenti, neque hic impositam acceptare tenetur. Conf. quia licèt Deus potestatẽ ligandi dederit Sacerdotibus; hæc tamen quoad satisfactionem limitatur ad facultatem pœnitentis, ut ait Trid *l.c.* ideòque neque Ecclesia satisfactionem imponit in articulo mortis, neque Confessarii, quia deest facultas eam adimplendi sed remittunt peccata punienda à Deo per pœnam condignam in altera vita; sed etiam in proposito casu facultas nõ suppetit ex parte pœnitentis satisfaciendi in hac vita ob dicta impedimenta; non ergo violatur justitia divina, etiãsi pœnitens hic non satisfacit, quia manet ei præscripta pœna temporalis à Deo infligenda hic, vel in alia vita. Tandem voluntas Ministri, seù Iudicis inferioris sequi debet, & conformari voluntati Principis in judicando, sed ex nullo fundamento colligitur, Deum obligate pœnitentem in casu nostræ conclusionis ad subeũdam satisfactionem; ergo neque Sacerdos ad imponendam; major patet, probatur minor, quia voluntas Dei, & legislatoris ex fine sacramenti, & institutione satisfactionis colligitur, quatenus ex motivo justitiæ præscribitur in vindictam peccati, & ex motivo clementiæ ad frenandum peccatorem in posterum à peccatis; sed satisfactio, quæ periculum habet annexum peccandi de novo ob scrupulosum statum peccatoris, non compatitur cum fine, & motivo clementiæ, quo respicitur abstractio à peccato novo; ergo talis satisfactio nõ est in tali cali casu præscribenda, etiã ex motivo iustitiæ, & vindicationis peccati, quia hæc duo motiva à Trid. assignata satisfactionis imponendæ debent simul compati in opere satisfactorio; neque Deus Sacerdoti commisit potestatem arbitrariam in pœnitentem, ut gravetur in sententia ferenda in præjudium salutis pœnitentis, quam Deus primariò intendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Objectionum Solutio.

599 Contrà primam, & communem sententiam, quod simpliciter, & absolutè loquendo teneatur pœnitens acceptare, & exequi satisfactionem à Confessario injunctam, arguunt Auctores secundæ sententiæ. Primò, quia non tenetur homo in hac vita satisfacere pro pœna temporali in Purgatorio luenda, sicut tenetur in hac vita satisfacere pro culpa mortali, eius remissionẽ procurando, ergo pariter in exercitio huius sacramenti non tenetur acceptare pœnitentiam, quæ sibi iniungitur ad satisfactionem, & remissionem pœnæ, sicut tenetur integram confessionem facere de peccatis cum dolore, & proposito ad obtinendam absolutionem, & remissionem culpæ, sed poterit licitè dicere, se velle reservare pœnam temporalem in Purgatorio luendam.

Confir. quia potest homo extrà sacramentum nolle satisfacere in hac vita pro pœna temporali, sed velle illam luere; & pro ea satispati in altera, nempè in Purgatorio, ergo etiam in sacramento potest recusare, vel omittere satisfactionem pro illa in hac vita. Demum quando sunt duo modi satisfaciendi, ad neutrum tenetur reus determinatè, sed poterit pro libito utrũlibet eligere; at pœnitens non tantùm in hac vita luere potest pœnam temporalem post remissionem peccatorum remanentem, sed etiam in Purgatorio, ergo &c.

600 Resp. cum communi Doct. primæ sententiæ, quòd licèt per se, & ex natura rei loquendo non teneatur peccator in vita satisfacere pro pœna temporali alioquin in Purgatorio luenda, ex institutione tamen huius sacramenti, & susceptione teneri acceptare, & subire pœnam in eo sibi injunctam; cũm enim huic judicio subdatur, sententiæ quoque in eo latæ parere debet, ut fructũ recipiat remissionis pœnæ pro modo, & mensura satisfactionis sacramentalis.

Ad Confir. eodem modo dicendum est, quòd quamvis hoc liceret ex natura rei, non licere tamen supposita hujus sacramentalis judicii institutione, cui se sistit pœnitens ad obtinendam pœnæ debitæ remissionem, qui proindè tenetur exequi pœnam legitimè impositam, ne mutilum maneat judicium. Ad ultimum negatur minor, quasi sit in arbitrio pœnitentis alterum sibi eligere, quamvis enim pœna temporalis remanens possit in hac, & alia vita lui, eo tamen ipso, quòd huic sacramentali judicio se subdidit, sententiæ latæ parere tenetur, & satisfactionem in hac vita exequi à Confessario injunctam.

Dices, ergo frustrà esset Purgatorium, nam Purgatorium est ad satisfaciendum pro peccatis jam remissis, ergo si pœnitens teneretur in hac vita satisfacere pro peccatis jam in Confessione remissis, frustrà esset Purgatorium. Negatur consequentia, nam Purgatorium non est pro iis, qui nullam in hac vita voluerunt agere pœnitentiam, sed pro illis, qui licèt injunctam egerint pœnitentiam, non tamen per eam totaliter pro suis peccatis satisfecerunt, atque ideò residuum pœnæ soli Deo notum remanet adhuc in Purgatorio luendum.

601 Secundò arguunt, quia judicium hoc sacramentale est voluntarium, ac liberum pœnitenti, ergo sicut non potest Sacerdos absol-

absolvere à culpa, nisi volentem, ita nec ligare ad pœnam, nisi volentem, & acceptantem. Confir, quia hæc materia subordinatur materiæ de judiciis, & sententiis, sed in illis appellatur ab inferiori ad superiorem: ergo, & in proposito similiter licebit, neque Sacerdos justè talem appellationem denegabit, siquidem pœnitens præsentare se vult carceri Curiæ divinæ, dùm protestatur, se velle pœnam luere in Purgatorio pro peccatis dimissis. Tandem si posset confessarius obligare pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam, posset illum quoque obligare ad acceptandam pœnitentiam peccatis condignam, sed ad hanc obligare non potest, esset enim intolerabile onus, humanam excedens imbecillitatem; ergo ad nullâ obligare potest, cùm non sit major ratio de una, quàm de altera.

Resp. hoc judicium esse liberum, & voluntarium peccatori, ut ad unum, vel alium Sacerdotem accedat, sed necessarium est, ac debitum, ut ad aliquem accedat; Item liberum est pœnitenti velle absolvi, vel non absolvi (intellige extrà casum præcepti de Confessione urgenti) non tamen liberum est velle absolvi à culpa, & non ligari ad pœnam, itaut unum velit sine alio, hoc enim repugnat institutioni hujus sacramenti, ut suprà dictum est, quarè sicut nō potest Sacerdos ligare nolentem absolvi; ita nec potest absolvere nolentem ligari. Ad Confir. dicendum est, quòd licèt hæc materia subordinetur materiæ de judiciis, & sententiis, non tamē in omnibus, quia ut dictum est suprà nu. 596. in hoc judicio sacramentali non datur locus appellationi; cùm sit supremum tribunal, & idem cum divino. Ad ultimum negatur consequentia, non enim sequitur, quòd si Sacerdos potest pœnitentem ad satisfactionem obligare potest etiam ad condignam obligare, & proportionatam peccatis; cùm enim pœnitentia à Sacerdote injuncta proportionari debeat non solùm gravitati delicti, sed etiam facultati, & fragilitati pœnitentis, & non quævis pœnitentia gravitati delicti proportionata proportionetur etiam facultati pœnitentis; non semper ad condignam poterit obligare Sacerdos, sed ad illam tantùm, quæ omnibus pensatis censetur condigna spectata facultate pœnitentis.

602 Tertio arguunt, quia potest pœnitens recusare satisfactionem condignam, & velle acceptare aliquam modicam, & residuum velle solvere in Purgatorio, ut dictum est nu. 600. conclus. 3. ergo non potest ratio convincens assignari, cur non possit etiam illam parvam respuere. Confir. quia satisfactio imponitur ad Purgatorii pœnam effugiendam; ergo si pœnitens de hoc beneficio non curaret posset omnem reiicere, & Sacerdos de ejus consensu nullam imponere. Tandem, cùm imponitur satisfactio, jam factum est sacramentum, quia actus hic ligandi exercetur post completum sacramentum, ergo etiam si satisfactio non imponatur vel acceptetur non ob id cessat, fieri verum sacramentum.

Resp. negando consequentiam, non enim fieri potest solutio culpæ sine ulla prorsus ligatione pœnæ, nisi impotentia excuset, & quia minima etiam satisfactione pœnæ fit ligamen, illa sola sufficit, & per hanc solam salvatur, quicquid ad rationem sacramenti requiritur, potestas clavium, ac pœnitentis dispositio, quæ omnia sine ulla prorsus satisfactione salvari non possunt, ut *concl.* 3. declaratum est, & cùm Trid. *l.c. sess.6. cap.14. & sess.14. cap.8.* dicat, satisfactionem hanc exigi à Deo, & esse de integritate hujus sacramenti, planè nec est in potestate Sacerdotis, nec pœnitentis reddere sacramentum mancum quoad ea, quæ ex divina institutione sunt de ejus integritate, nisi in casu, quo ipsa institutio id permittit, ut in casu necessitatis, quando satisfactio nequit ex impotentia impleri, ut in moribundo, aut sine periculo salutis pœnitentis, ut in casu 4. *concl.* explicatum est *n.* 602.

Ad Confir. negatur assumptum absolutè prolatum, nam satisfactio non tantùm imponitur ad Purgatorii pœnam effugiendam, vel minuendam, sed etiam ad Sacramenti integritatem servandam ex Trid. *l.c.* & ideò licèt esset in pœnitentis arbitrio nolle ea uti in pœnæ temporalis solutionem, non tamen est in ejus electione facere, ut non sit pars integralis Sacramenti, & ideò neque Sacerdos cum ejus consensu potest eam licitè non imponere, si possibilitas adsit.

Ad ultimum negatur consequentia, nam ipsa satisfactio in voto pœnitentis, ut exercenda, ante ejus impositionem, & acceptationē concurrit, ut pars essentialis ad essentiam sacramenti constituendā, sicut postea acceptata, & reipsa exhibita concurrit, ut pars integralis ad sacramenti pœnitentiæ complementum, ut constat ex dictis in superioribus, quarè cùm votum illud supponatur efficax, tenetur pœnitens aliquam sibi possibilem acceptare, nam si non acceptaret, non posset dici efficax, quia voto efficaci contradicit expresè voluntas contraria, omnem satisfactionem impositam reiiciens, ut dictum est *n.* 598. in fine, & sine voto efficaci satisfaciēdi non fit verum Sacramentum. Dices, potuit esse votum efficax satisfaciēdi antè absolutionem, deindè post absolutionem potest retractari, & non acceptari; ergo saltem in tali casu hæc non acceptatio Sacramentum non redderet invalidum. Resp. quòd licèt retractando votum non invalidaret sacramentum jam factum, adhuc tamen contrà sacramenti reverentiam mortaliter peccaret, quod sufficit ad salvandum, non posse pœnitentem regulariter loquendo licitè reiicere omnem satisfactionē collectivè à Confessario impositam.

603 Quartò arguunt rationibus ex Scoto deductis, quia reperiri potest aliquis pœnitens, qui dicat, se habere displicentiā de peccatō commisso, & firmum propositum non recidivandi, & tamē nolit ullam pœnitentiam recipere à Sacerdote impositam, vel igitur iste est absolvendus à peccatis, vel non, si primum, habetur intentum, si nō ergo iste ut disperatus recedet, & tūc probabiliter in alia, & gravior peccata relabetur, melius ergo esset eū in tali casu absolvere, quia finis hujus sacramenti præsertim est salus pœnitētis. Conf. quia supponitur, talem pœnitentem habere sufficiētem dolorem de peccatis commissis, & propositum firmum de non ampliùs peccando, & etiam habere voluntatem faciendi pœnitentiam, sed non inflictam sibi ab hoc judice; ergo habet omnia ad contritionem, & rectā dispositionem requisita, nō haberet quidem cōtritionem, si nollet ullum opus bonū facere, at si vult abstinere à peccatis, & operati bona, sed non titulo satisfactionis, hoc nihil impedit, quin habeat cōtritionem. Tandem si iste esset non absolvendus, hoc præsertim esset, quia videtur esse inobediens Ecclesiæ, quam Sacerdos ille repræsentat habens claves, dum recusat ab eo acceptare pœnitentiam de suis peccatis; At hoc non potest in proposito dici, quia iste se submittit Ecclesiæ arbitrio quoad id, in quo tenetur, scilicèt, quātùm ad judicium de culpis, ad quod necessariò tenetur; ad aliud autem judicium sequens pertinens ad impositionem pœnę non tenetur ei submittere, quia impositio pœnitentiæ nō includitur necessariò in primo judicio, quo culpa dimittitur, nam in morte, cùm quis non potest aliquid pœnale exercere, potest secundū omnes absolvi absque impositione pœnitētiæ; ergo pœnitentiæ impositio nō necessariò includitur in absolutione à peccatis, & culpis, ita quòd sit possibile absolvere à culpa, non absolvendo à pœna, ita arguit Faber *l.c.*

Resp. hæc argumenta adduci à Scoto, non quidem ad probandū simpliciter, & absolutè non teneri pœnitentem ad acceptandam satisfactionem à Confessario impositam, quo sensu à Scotistis secūdæ opinionis solent adduci, sed tantùm ad probandum non teneri in casu 4. concl. explicato, quando, scilicet, peccatori nimis difficile esse obligari ad pœnitentiam ex suo particulari statu, & tentationibus, quas pati supponitur in adimplenda pœnitentia ex obligatione, nam utique in tali casu ait Doctor consultius esse ipsum absolvere misericorditer, quàm repellere, dummodo propositum habeat recipiendi pœnam à Deo in hac vita infligendam, vel in Purgatorio, uti ibi declaratum est; In hoc igitur casu tantùm primum concludit argumentum, quando nimirùm ob specialem difficultatem adimplendi satisfactionem iniunctam periculum imminet desperationis, si absolutio subtrahatur.

Ad Confir. pariter dicendum est, argumentum in præfato tantùm casu concludere, alioquin simpliciter, & absolutè loquendo difficilè est invenire aliquem verè pœnitentem, & de peccatis commissis verè contritum, qui nec exiguam quidem pœnitentiā à Confessario acceptare vellet, qui enim nec ter Iesus dicere vellet, cùm posset, extrà prædictum casum à nullo censeri potest benè dispositus, atque ideò ex hoc capite reiici debet, & ei absolutio denegari. Ad ultimum licèt simpliciter, & absolutè loquendo impositio pœnitentiæ non includatur necessariò in primo judicio, quo culpa dimittitur, ut patet in casu de impotentia, quando enim pœnitens non potest aliquid pœnale exercere, utique secūdum omnes absolvi potest à culpa absq; impositione pœnæ, regulariter tamen loquēdo, & extrà talem casum clavis solvēdi, & clavis ligandi sunt connexæ, nec fieri potest solutio culpæ absque ulla ligatione pœnæ, & hoc deducitur ex ratione huius sacramenti instituti ad modum judicii, sicut enim reus tenetur patere Iudici legitimè præcipienti ita Sacerdos vim coactivam habet, qua saltem per præceptum pœnitentem obligare potest ad impositam pœnitētiam acceptandam, & solvendam, quarè si pœnitens non obediret, secluſis casibus impotentiæ, ac imminentis desperationis de ritè implenda tali pœnitentia Ecclesiæ inobediens censeri non deberet.

604 Quintò tandem arguitur contrà secundam assertionem, in qua dictum est, teneri pœnitentem implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali, nisi impotentia impediat, arguitur, inquam, quia quando confessio facta fuit de solis venialibus, aut de mortalibus jam alias ritè confessis, non urget obligatio implendæ pœnitentiæ sub mortali, sed tantùm sub veniali secundum communiorem opinionem, quia nimirùm materia ipsa super quam cadit imposita satisfactio, non est gravis, & mortalis, quia non est necessaria, quando fit de solis venialibus, aut etiam de mortalibus alias confessis, quarè nec etiam tenebitur pœnitens sub mortali, sed solùm sub veniali eam adimplere.

Resp. quando dictum est *l.c.* teneri pœnitentem satisfactionem impositam implere sub mortali, nisi impotentia impediat hoc esse intelligendum, si confessio facta fuit de peccatis mortalibus tunc primò confessis, tunc enim pœnitens obligatus manet sub mortali ad eam implendam, itaut potens, & non implens peccet de novo mortaliter, & hoc probant quæcunque dicta sunt *art. præced.* pro tali obligatione inducenda; Imo non desunt asserentes, etiam quādo cōfessio de solis venialibus facta fuit, aut de mortalibus aliàs ritè confessis, teneri adhuc pœnitentem sub gravi, & mortali culpa pœnitentiam, quæ in se notabilis sit adimplere, ita Coninchius Lugus, Caspensis, Amicus, Nugnus, Henriquez, & alii Recentiores;

Ratio

Ratio est, quia non solum est res gravis, ne relinquatur sacramentum mutilum absque hac sua parte integralis; sed etiam quia si pœnitentia ipsa sit in se gravis, obligationem fundat gravem, quamvis oriatur ex materia non gravi, seù non necessaria. Communior tamen opinio oppositum tenet, ut dicebam, quando nimirùm confessio facta fuit de solis venialibus, aut etiam de mortalibus aliàs ritè confessis, non teneri pœnitentem sub culpa mortali, sed solùm sub veniali, & hæc mihi probabilior videtur ob rationem allatam, quia, scilicet, materia ipsa, super quam cadit hæc satisfactio, non est gravis, & mortalis, quia non est materia necessaria, ideòque nec etiā eam adimplere tenebitur pœnitens sub mortali, sed solùm sub veniali. Et quamvis simpliciter, & absolutè loquendo res sit gravis, ne Sacramentum mancum, & mutilum relinquatur absque hac sua parte integrali; adhuc tamen inconveniens grave non est, aut gravis sacramenti iniuria, si relinquatur mutilum hac parte integrali, quando ipsa confessionis materia gravis, aut necessaria nō fuit. Nec etiam in hoc puncto urget, quod addebant Auctores citati, satisfactionem ipsam à Confessario impositam esse gravem, & posse iustè ab eodem imponi. Hoc enim non sufficit, sed requiritur ulteriùs adhuc, quòd talis satisfactio cadat super materiam gravem, & necessariam, ut gravem obligationem inducat, & necessitatem.

605 Sed urget Lugus, & Caspensis, quia ipse pœnitens potest se voto suo graviter obligare ad faciendam certam pœnitentiam pro suis venialibus, ergo sic etiam obligari potest ex susceptione huius Sacramenti, assumptum patet, quia si quis promitteret iejunium ad hunc finem satisfaciendi pro solis venialibus, votum illud citra dubium sub mortali obligaret; ergo idem de Confessario dicendū erit, si ob eundem finem iejunium præciperet. Ut concesso assumpto neganda est consequentia, non enim valet assumpta paritas de voto, quia potest homo etiā sine ulla relatione ad peccata se obligare ad iejunium, aut aliud opus penale ex sola devotione. Sed non potest sic obligari à Confessario, ut benè notat Aversa *q.13. sec.6.* Neque mihi satis probatur, quod præfati Auctores dicunt, gravitatem obligationis nō esse desumendā ex gravitate peccati, pro quo iniungitur, sed ex materia, quæ præcipitur, & ex gravitate operis iniuncti; hoc, inquam, non satis mihi probatur, quia Cōfessarius, tāquam Judex, non potest, nisi pro qualitate causæ, & gravitate culpæ sub gravi obligatione pœnam infligere. Oppositam tamen sententiā etiā ex nostris sequitur Hiq. in Commentario *d. 16. q.un.n.* 105. ubi ait, quòd licèt in pœnitentia imponenda debeat Cōfessarius attendere ad qualitatem delicti, tamen quando imponit pœnitētiā absolutè, & cū obligatione, mensura obligationis intrinsecè expēdenda est ex natura operis iniuncti, & acceptati, & ex natura præcepti in tali opere, & ait, se nō invenire regulam magis commodā, ex qua discernatur obligatio satisfactionis quantum ad gravitatē, aut levitatem eius, quàm eā pensare ex gravitate, aut levitate materiæ iniunctæ ex præcepto, & concludit, quòd cui hoc durum videtur, recogitet divinæ iustitiæ rigorem, & acerbitatem pœnæ alterius vitæ. Sed planè hoc mihi durum videtur, ideò que tem decidēdam relinquo meliori iudicio, hoc quidem certum est, in eo omnes convenire Doct. quòd pœnitentia iniusta, & clave errante impositā commutatione non indiget, quantum ad id, in quo iniusta est, & quòd potest proprio iudicio à pœnitente omitti, quia quantum ad id non obligat; si ergo id ab omnibus conceditur, pariter etia cōcedi debebit, gravem satisfactionem impositam pro materia levi, & non necessaria, qualia sunt peccata venialia, & mortalia aliàs ritè confessa, non obligare pœnitentem sub mortali, sed tantùm sub veniali, quia omnino iusta non videtur, nec proportionata qualitati delicti, sed excedēs, ideò q; cum tanto rigore obligare non videtur.

QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

Quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare, & an talis satisfactio possit per alium adimpleri.

606 Circà primam quæstionis partem advertendum est, controversiam non esse, quando pœnitentia, vel satisfactio imposita facultatem excedit pœnitētis, sivè quia errante clave fuit imposita, sivè quia posteà nova causa supervenit, ab executione pœnitentiæ sufficienter excusans; nam in tali casu, si impotentia est evidens, pœnitēs iure naturę à pœnitētia imposita deobligatur, nec loco illius aliam assumere tenetur, si verò impotentia est dubia, poterit à viro docto, & prudenti consilium sumere, etiam extrà confessionem narratis peccatis, pro quibus iniuncta fuit; non tamen extrà Confessionem posset aliam Sacramentalem pœnitentiam accipere, ut enim hæc sit Sacram. & pars integrans sacram. mediante ipsa confessione Sacram. debet iniungi; est itaque solùm cōtroversias quandò pœnitentia imposita tàm peccatis, quàm facultati penitentis est proportionata, ac proindè illum ad sui executionē obligat.

Circà alteram quoque quæstionis partem pariter advertendum est, controversiam non esse, an unus pro alio satisfacere possit, quātùm ad pœnam temporalem simpliciter, & absolutè loquendo de satisfactione, hoc enim fieri posse, patet in animabus purgatorii, pro quibus satisfaciūt viatores, & patet ex veritate de Indulgentiis & de thesauro spirituali Ecclesiæ. Sed difficultas est de satisfactione Sacramentali, & maximè si satisfactio sacramentalis ex opere operato suum operetur effectum, quia clavis ipsum duntaxat pœnitentem ligare potest, ut est reus, atque ideò alium à pœnitente non videtur posse ligare, etiamsi se voluntariè offerat, nec ille videtur modus castigandi, & puniendi peccatum huic sacramento accommodatus.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur quæstio quoad primam partem.

607 Pro resolutione quæstionis quoad primam partem plures se se offerunt difficultates examinandæ, quæ passim apud Recentiores disputantur pro rectā huius quæstionis intelligentia, & quamvis Scotus illas ex professo non tractet, adhuc tamem facilè, & consequenter ad eius principia breviter resolvemus.

Prima Difficultas est, An pœnitens propria auctoritate possit sibi pœnitentiam commutare à Confessario impositam saltem in opus evidenter melius; disputatur autem de propria pœnitentis auctoritate, quia de auctoritate Confessoris loquendo nulli dubium est, posse Confessarium facultatem pœnitenti conferre, ut ipse sibi pœnitentiam eligat peccatis proportionatam, quia pœnitentia ab ipso pœnitente hoc pacto electa eandem vim haberet, perindè ac si esset à Confessore imposita, nam mediatè saltem ex virtute clavium proficiscetur, quia eatum virtute in tali casu esset à pœnitente electa. Affirmant nonnulli, posse ab eodem pœnitente propria auctoritate unum opus in satisfactionem à Confessario iniunctum commutari in alliud opus evidenter melius, quod etiam probabile censet Diana *par.2. trac.15. resol.53.* Ratio est, quia habens votum potest illud propria auctoritate in opus evidenter melius commutare; ergò & pœnitens satisfactionem.

Confirmatur, quia qui exhibet largiorem solutionem, quàm debebat ex lege, non solvit legem, sed largius implet, ita autem accideret in proposito, ergo &c. Tandem quia licet in tali casu mentem Confessarii interpretari, qui si rogatus fuisset à pœnitente parato, aliud opus evidenter melius in satisfactionem utique concessisset.

608 Communis tamen opinio docet, nec licitè, nec validè fieri posse, ita Lugus, Coninchius, Amicus, Aversa, Caspensis, Sanch. Henriquez, Turrianus, Brancatus ex nostris, & alii Recentiores communiter. Fundamentum est, quia non potest subditus quidquam in præcepta superioris sivè dispensando, sivè permuttando, ut ad lucrandam remissionem pœnæ per indulgentiam non liget substituere loco ieiuuii, v.g. à Pontifice præscripti aliud opus melius, ut eleemosynam centum aureorum; ergo neque ad obtinendam remissionem pœnæ per satisfactionem Sacramentalem, in qua præterea reperitur præceptum, & obligatio, quod non contingit in concessione indulgentiæ. Confirmatur, quia non potest reus, qui est pœnitens, ferre suo modo sententiam, aut pœnam mutare sibi à Judice inflictam, qui est Confessarius, nec potest ille, qui suscipit sacramentum, officium Ministri sibi usurpate conferendo sacram. Denique pœnitentia nequit esse pars sacramenti, nisi ex virtute clavium procedat, siquidem omnes, & singulæ huius sacramenti partes ab ipsa Sacerdotis potestate vim, & rationem sacramenti sortiuntur, à quo omnes pœnitentis actus ad esse sacramenti elevantur; nisi enim sacerdotalis absolutio accederet, nec contritio, nec confessio rationem haberent sacramenti; nam intantum eam sortiuntur, inquantùm Sacerdotalis absolutio virtute clavium impetratur; ergò pœnitentia, & satisfactio nequit esse pars sacramenti, nisi à Confessario iniuncta, in quo tantùm virtus clavium residet; in proposito autem talis pœnitentia ex sola pœnitentis auctoritate commutata nec immediatè, nec mediatè ex virtute clavium procederet.

609 Ad fundamentum prioris sententiæ negatur consequentia, disparitas est, quia obligatio implendi tem voto promissam oritur ex voluntate voventis, qui proindè subrogando rem meliorem nullius ius lædit; obligatio autem implendi pœnitentiam oritur ex voluntate, & præcepto Confessarii tanquam Superioris hanc rem in particulari determinantis, cuius proindè ius læditur: quarè non est simile de voto, quod sicut propria voluntate emissum est, ita etiam in melius cōmutari potest, non sic autem opus aliena auctoritate iniunctum, qualis est satisfactio sacramentalis, quæ pendet à potestate clavium, quarum virtute elevati debet ad esse partis sacramentalis, cùm ergo pœnitens non possit in se actionem iurisdictionis sacramentalis exercere, cùm non possit sibi esse superior, consequenter nec poterit propria auctoritate pœnitentiam commutare sibi à Confessario impositam.

Ad Confirm. distinguendum est assumptum, si debitor suprà id, quod est taxatum, seù determinatum à lege aliquid solvat, conceditur, si verò id, quod taxatum est, permutet, negatur. Ad ultimū dicendum est, in eo casu ineptam esse interpretationem, posquā Confessarius certo operi vim indidit sacramentalem, & vinculum obligationis, non enim potest penitens elevare sacramentaliter

ter opera sua, aut in seipsum actum iudicialem exercere; Et tadem contrà omnia Adversariorũ argumenta est instantia validissima, si enim liceret permutare præceptum Confessarii, liceret etiam permutare præcepta Ecclesiæ, cùm nulla possit assignari disparitas; atque ità pro ieiunio possemus subrogare cilicium, pro Missa communionem &c. Illud enim magis macerat carnem, hæc verò in maiorem Dei cultum cedit, quod nemo dixerit.

610 Secunda Difficultas est, cùm satisfactio ab uno Confessario imposita possit ab alio æquali, hoc est, simili auctoritate prædito in aliam commutari, non solùm meliorem, sed etiam æqualem, vel insuper matiorem dispensando in parte super primã graviorem. Negant aliqui, etiamsi secundus Confessarius de novo audiat, & absolvat eadem peccata. Ratio est, quia per in parem imperium non habet, undè in foro exteriori nequit unus Judex, nisi sit superior, mutare sententiam alterius, & hoc per viam appellationis, vel recursus, quæ locum non habent in hoc sacramentali iudicio.

Confirmatur, quia ex hac commutatione irrogaretur iniuria priori Confessario, cuius sententia à posteriori revocatur. Tandem, quia remaneret mutilum, & imperfectum prius sacramentum, quia illi deesset pars integralis satisfactionis à priori Confessario iniunctæ, cuius obligationem fustulit secundus Confessarius pro hac sententia citantur Sot. Vasq. Nugnus, Victoria, Ledesma, Angles, & alii pauci.

611 Opposita tamen opinio communior est, & probabilior, quam docent Angelus, Navarrus, Silvester, Suarez, Lugus, Pesantius, Amicus, Aversa, Valentia, Henriquez, & ex nostris Faber, Brancatus, & alii Recentiores passim; Fundamentum est, quia pœnitens habet ius peccata uni confessa alteri iterum confitendi: ergò quilibet legitimus Confessor, & præsertim æqualis primo in auctoritate, potestatem habet ea iudicandi, & condigna penitentia puniendi, iuxta iterandi confessionem in pœnitente est correlativum, cui necessariò respondet in Confessario eius ferendi iudicium supra peccata iterum confessa: Cùm ergo non teneatur pœnitens de iisdem peccatis duplicem subire pœnitentiam, benè poterit relicta prioris Judicis pœnitentia, exequi pœnitentiam posterioris.

Conf. quia posterior Confessarius se habet, ut successor prioris in eodem Tribunali, ac proindè potest idem, quod prior, sed hic potest pœnitentiam commutare, ut omnes fatentur, ergo & ille, undè si pœnitens accedat ad secundum melius dispositus, aut aliæ cõcurrant circumstantiæ, poterit secundus Confessarius pœnitentiã prioris, non tantùm commutare in æqualem, sed etiam minuere.

612 Ad fundamentum prioris sententiæ negandum est, cùm Confessarius posterior pœnitentiam prioris mutat, exercere in illũ imperium, sed exercet in ipsum pœnitentem, tamquam in sibi subditum, quia cum voluntariè possit se uni, & alteri subiicere in hoc foro, poterit à secundo novam obtinere sententiam, in quam transeat prior, sed non fit in hoc foro per modum appellationis, & recursus, sed per modum repetitionis, & successionis. Unde licèt par in pareq; imperium non habeat, tamen habere potest in eundẽ subditum, sicut etiam in foro externo successor in eodem officio potest mutare ea, quæ præcessor fecerat, non quia in illum habeat imperium, sed quia potestatem habet in eandem materiam.

Ad Confir. negatur consequentia, nullam enim iniuriam posterior Confessarius irrogat priori, commutando pœnitentiam ab ipso datam, sed consulit conscientiæ pœnitentis, qui ius habet consulendi alium Confessarium, nec revocat eius sententiam, quasi iniustam, sed novam profert ad instantiam rei, in cuius bonum iteratur sententia in eadem causa; non per modum appellationis, seù recursus, ut dicebam, sed per modum novi iudicii æquivalentis præcedenti, seù per modum repetitionis, & successionis, sicut in foro externo Judex succedens in eodem iudicio potest mutare, quæ præcessor fecerat citra ullam iniuriam. Ad ultimum negatur consequentia, quia nihil de est in ratione iudicii, quando ex commutatione, vel diminutione sententiæ sive ab eodem Judice, sive à successore facta non tollitur eius executio, ut accidit in proposito; & quidem si argumentum valeret, sequeretur, neque per Indulgentias tolli ullo modo obligationem pœnitentiæ in hoc sacramento; saltem inquantùm vindicativæ, eo quòd nempè remaneret incompletum, quod tamen communiter afferitur, de quo infrà n. 627.

613 Tertia Difficultas est, an etiam Confessarius inferior, idest, æqualem non habens auctoritatem possit hoc idem facere, nempè pœnitentiam commutare à Superiori impositam, v.g. à Parocho, vel Episcopo, aut etiam Pontifice ipso, & difficultas non est de peccatis communibus, & liberis, idest, nemini reservatis, sed de pœnitentia imposita pro reservatis. Affirmant Vasq. Henriq. Navar. Molfesius. Fernandez, Bonac. & quidam aliis quorum fundamentum est, quia per absolutionem casuum reservatorum à Superiori factam, & obtentam, iam illa peccata remanent non reservata, & consequenter non remanet reservata pœnitentia pro eis imposita.

Opposita tamen sententia negans communior est, & quidẽ quòd possit Confessarius inferior ex causa, & prævia confessione commutare pœnitentiam à Superiore impositam pro peccatis communibus, & liberis, hoc est, non reservatis, nulli dubium est, quia ad solvendum, & ligandum pro communibus inferior Sacerdos est æqualis Superiori, habet enim ordinem, & eandem iurisdictionem, quoad illa. Quòd verò non possit commutare pœnitentiam pro reservatis à Superiore impositam, probatur, quia sicut non potest Confessarius inferior de illis peccatis iudicare, quia iurisdictionẽ non habet, ita nec pœnitentiam imponere, siquidem circa priorem sententiam, non habet potestatem, cùm ad tribunal superius pertineat; Tùm quia tunc inferior non se habet, ut successor prioris in eodem tribunali, ac proindè non potest reformare, seù moderare sententiam ab illo Judice Superiori per potestatem superiorem prolatam, sicut nec inferior potest mutare præcepta Superioris. Tũ tandem, quia reservatio inducta est, ut Superior suo iudicio pœnitentiam, sive per modum vindictæ, sive per modum medicinæ imponat, itaut licèt aliquando inferiori facultatẽ concedat absolvendi à peccato reservato, ipse tamen determinet, & taxet pœnitentiã iniungendam, quod sanè frustraneum esset, si inferior iterum audita pœnitentis confessione posset absolvere, & pœnitentiam mutare.

Ex qua doctrina fundamento prioris sententiæ facilè occurritur cùm enim reservatio peccatorum ad iudicium, quod reservans de illis ferre debet, ultimatè ordinetur, utiq; hoc iudicium frustraretur, si mutari posset ab illo Sacerdote inferiori; undè licèt pœnitẽs à peccatis reservatis fuerit iam à Superiore absolutus, & possit illa rursus inferiori Sacerdoti cõfiteri, & eorum absolutionem petere; non tamen potest petere commutationem pœnitentiæ pro illis impositæ, quia in huiusmodi pœnitentiis tacitum involvitur præceptum, ne possint ab aliis commutari, nisi urgente aliqua gravi necessitate, & ad Superiorem recursus non facilè pateat. Fateor tamẽ, priorem sententiam sua probabilitate non carere, sicut enim peccata reservata semel à Superiore absoluta, eo ipso non manet ampliùs reservata, ita ut etiam ab inferiori possit de illis absolutio obtineri, si iterum ei in confessione aperiantur; ita etiam videtur, dici posse de pœnitentia pro eis imposita, itaut sicut pœnitens habet ius iterũ sua peccata reservata alteri confitendi, ita & aliam sententiam loco prioris petendi, & subeundi, qua ratione Amicus *d.16. sess.4* & alii Recentiores priorem quoque sententiam censent probabilem.

614 Quarta Difficultas, An ad id debeat secundus Confessarius audire peccata, pro quibus pœnitentia fuit à primo imposita. Negant Navar. Toletus, Henriq. Victor. Valent. Sylvius, Diana, & alii quamplures asserentes, posse etiam extrà confessionem, præsertim si sit Superior, vel saltem in confessione de aliis peccatis, etiamsi non repetatur prior a peccata anteà confessa, pro quibus pœnitẽtia fuit imposita. Fundamentum est, quia secundus Confessarius eandem habet auctoritatem, quam primus habet, & denuò est Judex, ac Superior in hoc foro, & pœnitens illi seipsum subdit, totumque suũ statum, & conscientiam, ergo validè, & licitè poterit nunc commutari, ac minui pœnitentia ab illo Confessario imposita, maximè ex iusta, & rationabili causa.

Opposita sententia affirmat, hoc fieri non posse à secundo Confessario, sivè inferior fuerit, sivè Superior, nisi audiendo, & absolvendo denuò eadem peccata anteà confessa. Ità Suar. Vasq. Coninc. Lug. Pesant. Amic. Aversa, & alii quamplures, & hæc mihi probabilior videtur, & probatur ex ratione huius sacramenti institut i per modum judicii, non enim potest Judex iurisdictionem exercere, nisi in suo foro, ac tribunali, nec ferre sententiam, nisi cognita causa; ergo neque secundus Confessarius poterit exercere hunc actum mutandi pœnitentiam, nisi in actuali exercitio sacramenti, quando, scilicet, reus se accusat, ac defert sua peccata, pro quibus pœnitentia à primo imposita fuit, quæ si Confessarius ignorat, iam non habet causam perspectam.

Confir. quia ut judicium sacramentale condignam peccatis pœnitentiam taxet, prærequirit, & postulat Sacramentalem peccatorum cognitionem, quæ non nisi per Sacramentalem confessionem haberi potest: cùm ergo pœnitentia Sacramentalis sit huius sacramenti pars integralis, & cùm nequeat esse pars huius sacramenti, nisi sacramentali iudicio taxetur, planè sequitur secundum Cõfessarium prioris sententiam Sacramentaliter mutare non posse, nisi auditis in confessione peccatis, in quæ illa fuit lata. Tandem, quia eiusdem potestatis est imponere, ac tollere pœnitentiam, sed nõ imponitur pœnitentia extrà sacramentum, ergo nec tolli potest per commutationem, nisi media confessione sacramentali, quoniam commutare in proposito est partim tollere, scilicet, primam, & partim imponere, scilicet, secundam pœnitentiam.

615 Et quidem rationes istæ non solùm evincunt, secundo Confessario non licere pœnitentiam mutare à priori impositam sine auditione peccatorum, pro quibus imposita fuit, seù extrà horũ confessionem; sed etiam probant, non licere in ipsa confessione, quæ fiat de aliis peccatis novis; hæc enim nova confessio se habet merè per accidens ad vetera peccata iam confessa, sicut autem Confessarius audiens solùm nova peccata, non ritè pœnitentiam imponeret pro veteribus, quæ non audit, ita nec ritè sine eorum auditione pœnitentiam veterem permutatet; quemadmodum Judex non ritè profert sententiam de una causa per cognitionem alterius. Neque etiam sufficit, ut quidam Aversariorum dicant, si pœnitens dicat, se in præterita confessione habuisse hanc pœnitentiam pro peccatis tunc confessis, sic enim innotesceret quidem pœna, sed non culpa, propter quam illa fuit imposita, quod esset mutare sententiam cognitam, nõ cognita causa, ut benè discurrit Aver. *q.13. sess.8* Qua propter concludendum est, non posse secundum Confessariũ pœnitentiam mutare à primo impositam, nisi denuò audiendo, & absolvendo eadem peccata, pro quibus jam imposita fuit.

Ex quibus patet, quid sit dicendum ad fundamentum prioris sententiæ; necessariò enim hæc nova confessio de iisdem peccatis requiritur, quia licèt secundus Confessarius eandem cum priori auctoritatem habeat, hoc non sufficit, sed etiam habere debet eiusdem causę cognitionem, & pœnitens debet illi suum statum, & conscientiam aperire, & pate facere, non quomodocunq; sed etiam de iisdem illis peccatis prioribus, quorum sibi cupit pœnitentiam commutari; Et patum etiam refert, quòd sit Superior respectu pœnitentis, & etiam prioris Confessarii, ut quòd sit Episcopus, vel Prę latus, neque enim ad hoc refert eius superioritas, & Prælatio, quia cum tota hac dignitate ad huc servate debet, quæ ad hoc sacramentum essentaliter spectant, sicut alii; undè sicut absolvere non potest peccata, quæ non audit in hoc sacramento, ita nec ea punire per modum Sacramentalis pœnitentiæ.

616 Quinta tandem Difficultas est, an idem Confessarius possit pœnitentiam à se impositam commutare absque nova auditione, & absolutione. Affirmat communis opinio apud Avertam *l. c.* ita tamen, ut non omninò fiat extrà confessionem; Ratio est, quia talis commutatio esset, tanquam actus, & complementum, seù modificatio eiusdem iudicii Sacramentalis; sicut enim ab initio poterat imponi pœnitentia post absolutionem, ut omnes ferè concedunt, sic etiam potest iterum mutari, & modificari, consentiente, aut instante eodem pœnitente, non tamen extrà sacramentum, hoc ipso, quòd est actio sacramentalis.

Ad hanc autem mutationem validè faciendam advertendum est, requiri, omninò ex parte Confessarii memoriam saltem confusam peccatorum, ut nempè Judex procedat cum notitia causę, ne sententia contineat errorem intollerabilem, clave errante, sivè deindè tempus intercurrens sit brevius, sivè longius; sicut enim satisfactio etiam post longum tempus impleta integrat unum judicium cũ partibus precedentibus, quod iudicium adhuc intelligitur suspensum, & incompletum, itaut Judex in suo Tribunali adhuc aperto habeat ius ad urgendam sententiæ executionem; sic eandem satisfactionem poterit Confessarius ad instantiam pœnitentis mutare, qui quidem Confessarius intelligitur sibi virtualiter retinere hujusmodi facultatem moderandi, ac mutandi pœnitentiam, licèt enim sententia semel legitimè prolata, & acceptata videatur transire in rem iudicatam, quasi per modum contractus, itaut non possit mutari absque consensu iudicis, & subditi; in proposito tamen supponitur adesse consensus, imò instantia pœnitentis, non est igitur cur huiusmodi tempus, vel ad mediam horam cum Megala, vel ad diem cum Coninchio, vel ad triduum cum Diana, vel ad hebdomadam cum Henriquez restringamus, sed cum Vasquez, & Lug. rectè ad recordationem Confessarii extenditur; Imò addit Aversa, si non recordetur Sacerdos, sufficere, quòd ei peccata in memoriam revocet pœnitens absque accusatione, & absolutione, ac etiam si interim expiret facultas Confessarii, quam fortè ad tempus habebat, quia adhuc durat quoad causam non solùm cæptam, sed etiam judicatam, ad effectum moderandi suam sententiam.

617 Sed instat Branc. noster *disp.22. art.10. n.233.* ut fieri possit licitè, & validè mutatio satisfactionis multo tempore post confessionem primam, non sufficere, quòd Sacerdos recordetur peccatorum pœnitentis, sed necessariò iterandam esse confessionem peccatorum, ob quæ fuit imposita; quod probat, quia nequit licitè operari Sacerdos, si proportionem satisfactionis ad peccata non servat sed in eo casu servari nequit, nisi præ oculis habeat peccata illa, ob quæ imposuit, & hęc habere nequit, nisi per iteratam confessionem ergo &c.

Confi. quia actus mutandi pœnitentiam iam impositam est actus sacramentalis novus, ergo requirit alias sacramenti partes, atq; ideò confessionem novam, quia confessio iam præterita nequit moraliter eius compars censeri ob nimiam longitudinem temporis interiecti iam elapsi, & tandem subdit sub nu.234. ut licite fieri possit huiusmodi commutatio, non sufficere, si pœnitens ita de novo confiteatur; ac si ea peccata confessis non fuisset, sed tenetur dicere, quòd ob commutationem satisfactionis iterum ea confitetur.

At hoc nimium rigorem sapit, & sine sufficienti fundamento; verum quidem est Sacerdotem licitè operari non posse, si proportionem satisfactionis ad peccata nõ servat, & in eo casu talem proportionem servari non posse, nisi peccata iam confessa præ oculis habeat, hoc est, sufficientem eorũ memoriam saltem confusam, at falsum est, etiam post longum tempus hanc haberi non posse, nisi per iteratam pœnitentis confessionem, nam potest eam ex se habere Sacerdos sine iterata confessione, quòd si ipse non recordetur, sufficit etiam, quòd ei in memoriam reducantur ab ipso pœnitente absque accusatione, & absolutione. Et actus mutandi pœnitentiam in tali casu non est omninò novus, & à priori diversus, sed potiùs se habet, tanquam complementum, & modificatio eiusdem iudicii sacramentalis, ut suprdictum est, & sufficienter censetur moraliter unitus cum præterita confessione, & absolutione; quia sicut executio pœnitentiæ post quodlibet tempus moraliter unitur cum toto sacramento, est que pars integralis eius, ita & commutatio, eo quòd usq; ad executionem maneat adhuc velut apertum idem iudicium, & tribunal, & suspensum, atq; incompletum iudicium, quo etiam pacto Iudex, qui reum ad certam pœnam condemnavit, potest, quousq; ea completa non sit, illam rationabili de causa moderare, ac temperare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Resolvitur quæstio quoad alteram partem, & alia præcipua Difficultas examinatur.

618 Altera pars propositæ quæstionis erat, an satisfactio sacramentalis possit per alium impleri. Affirmant quamplures ex veteribus Scholastis, quos etiam plures sequuntur Recent. Sot. Henriq. Suarez. Facundez, Mercerus, Tannerus, Diana, & alii, quorum fundamentum est, quia pœnitentia sacramentalis ad duo ordinatur, ad medendum spiritualibus morbis pœnitentis, & debitum peccatorum solvendum; estò igitur non possit quoad primum ab alio, quàm ab ipso pœnitente impleri, poterit tamen quoad secundum, cùm possit unus pro alio debitum solvere; qui Auctores non tantùm loquuntur de solutione per modum operis operantis, sed etiam per modum operis operati, putant enim, claves sacerdotales non solùm se extendere ad opera exequenda ab ipso pœnitente, sed etiam exequenda ab alio pro ipso pœnitente. Hoc autem aliqui ex citatis Recentioribus ita declarant, quòd non possit id facere pœnitens propria auctoritate sibi alium substituendo, sed sola auctoritate Sacerdotis, ita Suarez, Diana, & alii apud Avertam *qu.13. sess.4.* & sequitur Brancatus ex nostris *dis.22. art.7.nn.159. conc.ult.* ubi ait, quod licèt satisfactio acceptata à pœnitente, ut impleenda ab ipso, non possit per alium impleri, fieri tamen potest, ut aliquando sibi à Sacerdote imponatur pœnitentia implenda per alium.

619 Dicendum tamen est cum communiori, & probabiliori sententia, pœnitentem teneri per se in plere pœnitentiam iniunctam, itaut neq; ipse sua auctoritate sibi alium ad eam faciendam substituere possit, nec etiam auctoritate Sacerdotis. Ita Vasquez, Coninc. Lugus, Amic. Bon. Aversa, & alii passim; Et quidem quòd propria auctoritate id facere ne queat, patet ex *ar.9.n.6.* ubi dictum est, non posse propria auctoritate mutare pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam, eanq; in partem sacramenti elevare; cùm hoc sit oproprium clavium sacerdotalium: Quòd autem neq; Sacerdos id facere possit, probatur ex Trid. *sess.14 c.3.* ubi materia huius sacramenti statuuntur tres pœnitentis actus contritio, confessio, & satisfactio, non autem alterius. Deindè probatur ex ratione huius sacramenti instituti ad modum iudicii vindicativi, & medicinalis, in quo proindè idem, qui reus est, debet absolvi, & puniri, & qui infirmus curari, susceptà ab ipso medicina, non autem ab alio, quod confirmatur etiam potest à pari in aliis præceptis, v.g. de missa audienda, de jejunio &c. quæ non potest unus pro alio implere, imo magis requiritur actio personalis in proposito cùm pœnitentia præcepta tendat ad hanc nu. per sonam puniendam, & curandam. Denique eo probatur, quia ille solùm potest sacramentaliter exequi pœnitentiam impositam, seù præceptam, cui potest Sacerdos sacramentaliter præcipere, sed hic est solus pœnitens, non autem aliter, quia in hoc foro est superior solius pœnitentis, nam claves Sacerdotis non nisi ad pœnitentem se extendunt; undè etiamsi in tali casu pœnitentia ab alio adimpleta prodesset pœnitenti per modum operis operati, de quo tantùm est præsens difficultas; ex quo patet, quid sit dicendum ad fundamentum oppositæ opinionis, probat enim solùm, quòd pœnitentia ab alio adimpleta prodesset pœnitenti ex opere operantis, non autem ex opere operato, cùm enim non possit Confessarius pœnitentiam imponere, nisi ligando, nec possit pœnitentem ligare ad opus alterius, consequens est, ut quamvis unus pro alio satisfacere possit ex opere operantis, nequeat tamen sacramentaliter & ex opere operato, quod etiam ex nostris tenent Faber *dis.35.c.11 nu.239.* & Hiqueus *4.d.15.q.1.in Comment.n.160.*

620 Sed Obiicies, quod unus potest satisfacere pro alio pro pœna temporali, sivè vivus, sivè defunctus, ergo idem dici potest in proposito de satisfactione sacramentali. Conf. quia hoc ipso, quod pœnitentia adimpletur ab alio ex consensu ipsius pœnitentis fit actus ipsius pœnitentis, ac proindè fit apta materia sacramenti, sicut eleemosyna facta per famulum ex consensu Domini censetur actus ipsius Domini. Demum adest praxis aliquorum Confessariorum imponentium pro pœnitentia, ut pœnitens procuret sibi aliorum preces, ut curet pro se celebrari, vel etiam audiri tot missas, quæ quidem ei valebunt ad satisfactionem, & remissionem pœnæ, non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Resp. negando consequentiam, & paritatem, ut satis constat ex dictis, quamvis enim unus possit pro alio satisfacere ex opere operantis, non tamen sacramentaliter, & ex opere operato; undè sicut unus non potest conteri, nec confiteri sacramentaliter pro alio, ita nec potest sacramentaliter satisfacere, quia contritio, confessio, & satisfactio sunt partes huius sacramenti; Nec obstat, quòd confessio in-

sio interdũ fiat per aliam vg. per interpretem, dùm enim fit, ita fit etiam à principali committente interpreti, ut referat, quæ ipsemet dicit, undè principaliter fit à pœnitente, ab interprete verò solùm instrumentaliter. Ad Conf. negatur assumptum, ex quo tantùm sequitur, consensum ipsum pœnitentis, non autem pœnitentiam ab alio impletam, quia hæc fieret ex propriis operationibus illius, ut orare, peregrinari, ieiunare, non autem ipsius pœnitentis; undè non valet paritas de eleemosyna Domini per famulum facta, hæc enim principaliter fit ab ipso Domino, à famulo autem tantũ instrumentaliter, cùm illam eroget ex bonis Domini, non autem propriis, atque ita in tali casu opus sic ab alio factum pro pœnitente; & applicatum proderit pœnitẽti quoad effectum satisfactionis ex opere operantis tantùm, nõ verò ex opere operato; actus autem ipse, quo pœnitens rogavit alium ad faciendum, tale opus, eidem pœnitenti valet ex opere operato, & virtute clavium non minus, quàm quodcunque opus aliud ei impositum, & ab eo ad impletum, siquidẽ in toto rigore actus ille est opus proprium ipsius pœnitentis à Sacerdote illi iniunctum, & virtute clavium elevatũ, quando nimirùm illi imponit, ut procuret peregrinationem, celebrationem Missæ, servitium infirmi, & similia. Ad ultimum dico, in opere à Confessario imposito pœnitenti faciendo per alium non adinveniri aliam satisfactionem, quæ dicatur ex opere operato, & per virtutem clavium, nisi quæ consequitur ex actione illa pœnitentis, qua procurat opus illud ab alio faciendum, qua satisfactione si contentus sit Confessarius ut verè esse potest, ad nil aliud tenetur pœnitens; Verum etiam est, quòd si pœnitentiã Confessario imponatur, ut curet pro se celebrari tot Missas, Missæ ei valebunt ad satisfactionem, & remissionẽ pœnæ etiam ex opere operato, non tamen operato ab ipso sacram. pœnitentiæ, & virtute clavium, sed tantùm operato ab ipso sacrificio, & virtute intrinseca ipsius oblationis; alia enim est satifactio procedens ex opere operato à sacramento pœnitentiæ, & virtute clavium; alia verò ex opere operato ab alio sacramento, v. g. sacrificio Missæ, ac etiam à martyrio, undè in opere, quod nomine pœnitẽtis alius exequitur, distingui potest aliquando hæc gemina satisfactio, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato, v. g. sacrificio Missæ, communione, & martyrio. sed istæ nunquam dici possunt satisfactiones sacramentales, & virtute clavium.

621 Ad majorem quæstionis huius intelligentiam hic ulteriùs disputari solet, an pœnitens possit iniunctæ sibi pœnitentiæ satisfacere per susceptionem indulgentiæ, adeò ut indulgentia suscepta esset obligatio eã adimplendi, in qua difficultate, quæ non est parvi momenti, tres sunt sententiæ, duæ extremę, & una media. Prima sẽtentia extrema absolutè affirmat, quam latè defendit Card. de Lug. q. 27. sect. 2. Fundamentum est, quia cùm pœnitentia sacram. adimplenda sit ob remissionem pœnæ temporalis, extincto debito huius pœnæ sequitur, extingui pariter obligationem adimplendi penitẽtiam, sicut cõdonata per Principem pœna debita Reo, cessat omnis obligatio illi imposita à Judice; sed pœna temporalis pro peccatis iam dimissis debita per susceptionem Indulgentiæ remittitur, ut patet ex eius definitione, siquidem præcipuus effectus Indulgentiæ est remissio temporalis pœnæ ex peccato absoluto relictæ; ergo pœnitẽs nõ tenetur amplius satisfactionẽ sibi iniunctã adimplere sicut enim debitor non tenetur solvere creditori debitũ, quod sibi condonatum est, & remissum ab eo, ita neq; pœnitens tenetur Deo satisfacere pro pœna alibi debita, cuius remissionem per Indulgentias obtinuit. Secunda opinio extrema absolutè negat, per Indulgentias compensari, & tolli obligationẽ adimplendi satisfactionem sact. ita ut homo eximatur à debito eam exequendi, etiamsi concedat, pœnam temporalem in Purgatorio luendam per susceptionem Indulgentiæ totaliter remitti. Ratio est, quia pœnitentia Sacramentalis non imponitur solùm ob utilitatem pœnitentis ad remissionẽ pœnæ debitæ pro peccato remisso, sed etiam ob cultum Dei, & satisfactionem quandã divinæ iustitiæ, quam debebit pœnitẽs adimplere ex iusto præcepto Confessarii, tamquam legitimi iudicis facultatem habentis sic ligandi, & ad aliquam pœnam condemnandi; Et condonata pœna unius generis à Principe, non propterea cessat obligatio ad pœnam alterius generis imposita à legitimo Judice; Quarè condonata pœna alterius vitæ in Purgatorio à Deo, non proptera cessat obligatio adimpleri aliquam pœnam exercendam ab ipso Reo in hac vita in cultum Dei; ita latè defendit Aversa q. 13. sect. 9. ubi alias rationes nõ parum efficaces pro hoc adducit.

622 Tertia tandem media, & communis sententia docet, pœnitentiam dupliciter à Confessario iniungi; primò in satisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita; secundò in medicinam, remedium, & præservationẽ à peccatis; secundò in medicinam, remedium, & præservationẽ à peccatis; primò ergo primo modo iniunctæ in satisfactionẽ, scilicet, peccatorum iam remissorum quoad culpam pœnitens satisfacit per susceptionẽ Indulgentiæ, & per alia opera satisfactoria; Pœnitentię verò secundo modo iuiunctæ in remedium, sc. & præservationem pœnitens non sufficienter satisfacit per indulgentiæ susceptionem; Quamobrem si pœnitenti luxurioso iniunctum sit ieiunium pro remedio, & præservatione peccatorum, pœnitens non satisfacit suscipiendo indulgentiam plenariam, cùm Indulgentia non ità inserviat ad præservandum ab huiusmodi peccato, sicut ieiunium; ita Navar. Silv. Casp. Bonac. Angelus, Toletus, Coninch. Sanch. Suarez d. 50. sess. 2. ubi ait, quia his temporibus conſiderata qualitate pœnitentiarum, quæ levissimæ imponuntur, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ, rarò vel nunquam licere pœnitentiam omittere propter indulgentias: Idem tenet ex nostris Poncius d. 46. q. 1. 5. n. 285. ubi ait, per indulgentias non liberari pœnitentem ab obligatione pœnitentiæ impositæ à Sacerdote, quatenus imponitur pro medicina ad præservandum à peccato; indulgentia enim tollit utique pœnam peccato debitam, sed non tollit obligationem, quam habet pœnitens ad ponendum remedium iniunctum, ut caveat à relapsu; undè duplicem pœnam assignat peccato debitam, unam temporalem, in quam commutatur æterna, & hæc tollitur per Indulgentias, aliam ut præservetur ab aliis peccatis, & hanc non tollit indulgentia, sed sola satisfactio Sacramentalis; sic tandem etiam loquitur ex nostris Faber d. 35. cit. cap. 11. in fine n. 246. ubi ait, quòd cùm per Indulgentias remittitur satisfactio imposita, remittitur, ut satisfactoria est, non ut medicina est, quia Indulgentiæ non dantur in destructionem, sed in ædificationem animæ; tollere autem remedium, seù medicinam curativam animæ esset magnum detrimentum animarum. Undè concludit, intentionem concedentis Indulgentias non esse tollere obligationem pœnitentiarum iniunctarum, inquantùm sunt medicinæ, sed tantummodo inquantum sunt vindicativæ.

623 Sed quamvis hic dicendi modus sit frequentior, & satis probabilis, adhuc tamen mihi probabilius videtur cum secunda sententia, quòd condonata pœna alterius vitæ in Purgatorio à Deo per Indulgentias, non ob id cessat obligatio adimplendi aliquam pœnitentiam in hac vita exercendam ob satisfactionem quandam divinæ iustitiæ, quam pœnitens adimplere tenetur ex iusto Confessarii præcepto, tanquam legitimi Iudicis facultatem habentis sic ligandi, & ad aliquam pœnam in hac vita luendam condemnandi; Et hoc suadet usitata praxis tùm Confessariorum, tùm pœnitentium, illi namque student congruas, & aptas pœnitentias fidelibus imponere, quando continetur tempore Jubilæi, ut plenariam indulgentiam, consequantur, & isti etiamsi indulgentias lucravi studeant, nõ minus solliciti sunt pœnitentiam sibi in confessione iniunctam adimplere, quàm alii, qui ex aliquo defectu indulgentiam nõ lucrantur & Pontifices ipsi etiam in plenissimis Iubilæis expresse advertunt; & declarant, ut absolutè omnibus etim indulgentiam lucraturis salutares, & congruæ imponantur pœnitentiæ in peccatorum punitionem, & nõ sub conditione, ut si Indulgentiam lucrentur, faciendo opera à Pontifice requisita, ab obligatione iniunctæ pœnitentiæ eximantur; signum evidens, intentionem Pontificis esse Indulgentias valere solùm pro satisfactione sacramentali, quantum ad effectum condonandi pœnam alterius vitæ in Purgatorio; non autem quantum ad obligationem tollendam adimplendi pœnitentiam à Confessario iniunctam, & aliqualem pœnam in hac vita luendi ob culpam Dei, & satisfactionem quandam divinæ iustitiæ.

624 Nec sufficit, quod tertia opinio dicebat, non obstante Indulgentię privilegio adhuc adimplendam esse pœnitentiam à Confessario iniunctam, quia non tollitur obligatio eam adimplendi, quatenus medicinalis, & præservativa ab aliis peccatis. Non sufficit, inquam, quia ut benè instat Aversa l. c. hæc doctrina obscuram valdè & perplexam reddit hanc obligationem, nõ enim satis cõstare potest, quando pœnitentiæ iniunctæ sint in vindictam, vel in medicinam, nec enim Confessarii id declarare solent, nec ex natura operis talis distinctio potest benè deduci, cùm eadẽ opera possint una, vel alia ratione imponi. Quòd si dicatur, hoc ipso quòd pœnitentia est vindicativa, & punitiva de præterito, esse etiã præservativã de futuro ob illã vexationẽ, & laborẽ, quem inducit. Si hoc, inquã, dicatur jam inutilis, & frustratoria redditur illa sententia, quòd per Indulgentias obligatio pœnitentiæ impositæ tollatur, & compensetur, quia iuxtà illam doctrinã semper, & omnis pœnitentia non tantùm habebit rationem punitionis, & vindicationis, sed etiam remedii, & medicinæ perservativæ. Tùm quia nõ potest imponi, aut remanere obligatio adimplendi pœnitentiã præcisè sub ratione medicinæ, & remedii absq; ratione punitionis, & vindicationis, hæc enim duo sunt necessario connexa, nam Confessarius medicinã pœnitenti præbet illũ plectendo ob peccata commissa; quarè remota obligatione subeundi pœnã, nec remanebit ex præcepto Confessarii obligatio sumendi talem medicinã, qua ratione prima sententia absolutè asserebat, per Indulgentiæ susceptionem compensari totaliter obligationẽ pœnitentiæ à Confessario iniunctæ in punitionẽ de præterito, & præservationem de futuro. Cùm igitur pœnitentia in cõfessione iniungatur pœnitenti non solùm ad remissionem pœnæ temporalis ob eius utilitatem, sed etiã, & punitionem delictorũ in hac vita ad refarcendũ divinũ honorem læsum, & divinæ iustitiæ satisfaciendum, dicendum est, quòd quamvis pœnitens per Indulgentias remissionem pœnæ in alia vita luendæ consequi possit, adhuc tamen teneri subire vindictam, & custodiam à Confessario sibi impositã, ad servandã iudicii æquitatem, hoc enim modo magis salvatur huius Sacr. integritas, quia satisfactio à Sacerdote impositã ad huius sacr. integritatem pertinet, & est de iure divino.

625 Postremò quæri solet, An Confessarius possit pœnitentiam imponere omninò liberam faciendam arbitrio pœnitentis, & per modum consilii, & non præcepti. Affirmant Henriquez, Fagundez Suarez, Pesantius, Averſa, Diana, Bonacina, & alii, & probant, quia Sacerdos tali pacto pœnitẽtiam imponendo adhuc ligat, & solvit; ligat quidem, quatenus necessitatem hujus pœnitentiæ imponit, non simpliciter, sed ad hunc finem consequendi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc Sacramentum, imponendo nimirùm pœnitentiam sub forma quasi cõditionata hoc modo; si tale opus feceris, serviat tibi in satisfactionem; solvit autem, quatenus faciente talem pœnitentiam commutat pœnam Purgatorii in faciliorem pœnam, quàm per se, & sine virtute clavium necessaria esset.

Negant alii, ut Vasq. Turrianus, Lugus, Casponsis, Coninchius, Nugnus, & alii quamplures; ratio est, quia Confessarius tenetur pœnitentiam imponere, tanquam verus Judex in vindictam peccatorum, & aliquando in medelam, & cautionem in futurum; Judex autem non potest punire, nisi per vim coercitivam, qua reum obligat ad subeundam pœnam; Tùm quia sententia judicis, si justa est, semper vim habet obligandi reum, ac proindè semper pœnitentiam obligantem imponere tenetur, cùm teneatur ferre sententiam cõdemnativam; Undè falsum esse dicunt, quod prior sententia assumebat, per pœnitentiam nempè illo modo impositam, pœnitentem ligari ex potestate clavium, quam Confessarius habet ad ligandum; nam pœnitentia per modum consilii imposita non ligat, quandoquidem eodem modo manet liber pœnitens, sicut antea; ita discurrit Casponsis tract. 24. dif. 8. sess. 4. n. 31. Et hoc totum deducitur etiã expresse ex Concilio Trid. sess. 14. c. 8. ubi docet, Sacerdotes debere salutares, & convenientes satisfactiones injungere, quæ verba præceptum sonant, non verò consilium, & infrà addit facultatem injungendi satisfactiones oriri ex potestate clavium, quæ non solùm ad solvendum, sed etiam ad ligandum datur; pœnitentia autem injuncta per modum consilii certè non ligat pœnitentem, ut constat, cùm liber maneat adhuc, sicut antè.

626 Et hæc secunda sententia communior est, & probabilior, à qua nec etiam Auctores primæ sententiæ recedere puto, nam ipsi quoque fatentur, Confessarium regulariter loquendo teneri satisfactionem præcipere, & solùm in aliquo casu posse eam consulere, vel imponere sub forma quasi conditionata, si tale opus feceris, serviat tibi in satisfactionem; casus autem esse potest, vel quia pœnitentes sunt scrupulosi, & postea nimis hæc obligatione, præcipue in recitãdis precibus premuntur, vel quia animis fragiles sunt, & timeri potest ne ex transgressione novo peccato graventur, ut declarat Aversa q. 13. sess. 7. Et quidem si in his casibus jam dictum est q. præc. ar. 1. n. 602. posse licitè pœnitẽtem non acceptare pœnitentiam sibi à Cõfessario impositam, etiam si moderata sit, & congrua, & Confessariũ in tali casu non teneri eam imponere ad evitandum periculum novi peccati, sed tantùm intimare pœnitenti obligationem, & debitũ solvendi pœnam in hac, vel alia vita; consequẽter etiam dici potest, quòd si eam in hoc casu injungere velit, possit eam imponere tantùm sub concilio, & non sub præcepto ob eandem rationem; & ratio est, ut inquit Bonac. disp. 5. q. 5. sess. 3. pun. 2. quia satisfactio injungitur in medicinam, quatenus Sacerdos judicaverit expedire, si ergo Sacerdos cognito statu pœnitentis judicaverit expedire, ut pœtentia non injungatur per modũ præcepti, sed sub forma quasi conditionata, poterit eam per modum consilii, & sub forma quasi conditionata injungere. Et planè miror, cur Auctores isti hoc totum concedant, in his casibus non teneri, scilicet, Sacerdotem pœnitentiam injungere per modum præcepti, sed posse, imò & expedire, ut eam injungat tantùm per modum consilii, & sita forma quasi cõditionata, & posteà adeo mordicus affirment, semper, & in quocunque casu teneri pœnitentem sub præcepto acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam; hoc enim non videtur satis consequẽter dictum; semel enim concesso, quòd Sacerdos in hoc casu non teneatur pœnitentiam injungere sub præcepto, & licitè possit eam injungere sub consilio tantùm; videtur etiam consequenter concedendum, quòd pœnitens in tali casu non teatur acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam, ut latè probatum est loc. cit.

627 Quæri hic etiam solet, quo tempore pœnitentia à Confessario injuncta impleri debeat, & communiter cum distinctione responderi solet, quòd si Confessarius tempus illius implendæ prefixit v. g. si certis diebus jejunium servandum injunxit, tempore illo præfixo implendum est; si verò tempus non est præfixum, pœnitens quamprimum commodè poterit, satisfactionem implere tenetur, & communiter Theologi docent, illum mortaliter peccare qui pœnitentiam gravem tempore valdè diurno differret sine ulla rationabili causa ex sola desidia, aut incuria. Aliæ quoque difficultates de satisfactione sacramentali moveri solent, quæ potiùs ad praxim, & casus conscientiæ spectant, quàm ad scholasticam concertationem, ideòque ad moralem Theologiam reservantur, ac interim apud Summistas, & Morales videri poterunt.

DISPUTATIO SEXTA

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO PRIMA.

An extrema Unctio sit sacramentum novæ legis, & à Christo immediatè institutum.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur quæstio quoad primam partem.

1 NOmine Extremę Unctionis intelligimus unctionem olei benedicti, quæ infirmo in extremis constituto, adjunctis quibusdam precibus à Sacerdote confertur. Quamvis autem nomen hoc extremæ Unctionis petere videatur, ut de hoc sacramento ultimo loco agatur, dicitur enim extrema Unctio, quia extremo loco suscipitur in fine vitæ, & post alia sacramenta; Nihilominus, quia hoc sacramentum est institutum ad delendas peccatorum reliquias, & sacramenti pœnitentiæ complementum existimatum est à Patribus, ut loquitur Concilium Trid. sess. 14. ideò connexio hujus sacramenti cum præcedenti pœnitenperit, ut immediatè post illud de hoc agamus. Habet autem quæstio proposita duas partes, una est, an extrema Unctio sit verum novæ legis sacramentum, altera verò an fuerit à Christo Domino immediatè institutum. Quoad primam quæstionis partem negarunt olim Valdenses, & Albigenses, hoc esse verum, & proprium novæ legis sacramentum, & nunc etiam negant Lutherani, & Calvinistæ. Affirmat verò Ecclesia Catholica, & tanquam dogma fide credendum proponit. Quo autem ad alteram non defuerunt ex Catholicis, qui putaverint, hoc sacramentum non fuisse immediate à Christo, sed ab Apostolis institutum, quoniam apud nullum Evangelistam hujus sacramenti fit mentio; probabile autem non est, nullum Evangelistam hujus sacramenti fecisse mentionem, si illud à Christo institutum fuisset, nam sicut aliorum sacramentorum, ita & hujus mentionem fecissent, si à Christo institutum fuisset; pro qua opinione citantur Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis, Altisiodorensis lib. 4. summæ tract. 7. cap. 1. Alensis 4. p. q. 8. memb. 2. ar. 1. Magister 4. d. 23. & D. Bonavent. ibidem p. 1. q. 2. ubi dicit, Spiritum sanctum per Apostolos illud instituisse, & per Jacobum publicasse.

2 EXtremam Unctionem esse verum, & proprium sacramentum, sicut sunt alia novæ legis sacramenta, tenent omnes Catholici, tanquam dogma fidei ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & traditione, ac definitione Ecclesię expresè deductum, & quidem ex Scripturis primò hoc probant aliqui ex Evangelio Marci cap. 6. ubi de discipulis ad cõcionandum à Christo missis, quod *ungebant oleo multos ægros, & sanabant*; hac autem unctione utebantur Apostoli ex præscripto Christi, & non ex mero eorum arbitrio, & non tantùm ad salutem corporum, sed præcipuè ad salutem animarum; salus enim corporis ad salutem animæ dirigebantur, quæ potissimùm per hęc miracula à Christo intendebatur; nullum enim Christus sanavit in corpore, quem etiam non sanaverit in anima, ut constat ex infirmo probaticæ piscinæ à Christo sanato Joan. 5. ergo ea unctio erat verum sacramentum, siquidem habebat omnia ad verum sacramentum requisita, erat enim externa cæremonia constans ex determinata materia, & forma, quam licèt Evangelista distinctè non exprimat, illa tamen supponit, & rursus habebat infallibiliter annexam ex divina promissione animę salutem, quod ad sacramentum est maximè necessarium; nam si per illam unctionem infallibiliter salus corporis conferebatur, ut ex loc. cit. colligitur, tantò magis salus animæ, propter quam salus corporis dabatur; ita Riccardus, Uvaldensis, Alphonsus de Castro, Petrus Soto, Nugnez, Maldonatus, & quidem alii Expositores in eundem Marci textum.

3 Cõmunis tamen, & probabilior opinio negat, ex hoc loco sufficienter hoc Sacracramentum probari, negatque, unctionem illã, quę tunc ab Apostolis exercebatur, fuisse hoc sacramentum, sed potiùs fuisse ait quandam prævẽtionem, & adumbrationem ejus, ut indicavit Conc. Trid. sess. 14. c. 1. ubi de hoc Sacramento loquens ait, *Apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobũ autem promulgatũ* dicitur autem insinuari, quod nõ expresè proponitur, sed adumbratur, & obscurè indicatur; hoc igitur sacramentum apud Marcũ fuit duntaxat insinuatum, & adumbratum, seù figuratum, eo modo, quo dicitur sacramentum Baptismi insinuatum fuisse in baptis-

mo